ESAIÆ PUFENDORFII
POTENTISS. MAGNÆ BRITANNIÆ REGIS
A CONSILIIS AULÆ ET CANCELLARIÆ

INTRODUCTIO
IN
PROCESSUM CRIMINALEM LUNEBURGICUM.



FRANCOFURTI ET LIPSIÆ
APUD NICOLAUM FOERSTERUM ET FILIUM
M DCC XXXII.

PRÆFATIO AUCTORIS.

IN lucem edenti publicam mihi hanc in criminalem proceſſum Luneburgicum introductionem, quam altera in civilem propediem excipiet, ut de inſtituti ratione explicarem, perquam neceſſarium viſum eſt. Plane enim ſcire te oportet, quisquis es hæc noſtra lecturus, utrumque librum delineatum fuiſſe primum atque compoſitum nonnullorum rogatu amicorum. Nam cum quidam academiis reverſi juvenes juris ſtudioſi, queſti, ſe in

academiis præter Saxonum procedendi in judiciis modum de Luneburgico inprimis noſtro nihil quicquam audiviſſe, ut ego in ea re facem ſibi præferrem, a me contendiſſent; horum precibus locum daturus, quoniam forma, ad quam tractatio illa accommodanda, adhuc nulla exſtabat, ipſe aliquam ex Ordinationibus noſtris, tam de criminalibus, quam civilibus cauſis cœpi effingere. Qua quidem in re me ingenue fateor eſſe maxime ſecutum illam proceſſus delineationem, quam a Lipſienſi olim JCto celeberrimo, CHRISTOPHORO SCHREITERO, modum in judiciis procedendi privatim tradente, acceperam. Cujus doctiſſimi vi-

ri mentionem merito injicio, ne, quæ ei hac in re debeam, obſcurare & memoria tegere ingrata videar. Cum deinde acceſſiſſent alii ex terris Gvelpherbytanis, nonnulli quoque ex Bremenſibus, facile horum precibus conceſſi, ut ex earum quoque regionum judiciariis Ordinationibus ſuo quæque loco adjicerem, inſuper ex legibus vicinarum aliarum adderem, tandemque, ut perfectior forma evaderet, procedendi modum judiciorum Imp. ſuperiorum ſubjungerem. Quod quanquam rogantibus amicis iſtis dederam, in publicum vulgare mens certe mihi nunquam fuit. Evenit autem, ut illi exempla ſua cum aliis communi-

carent, ex his quoque haud pauci deſcribenda ſibi curarent, adeo ut in multorum inciderent manus, quorum nonnulli, ut publice ederem, jamdudum ſæpius fuerunt exhortati. Neque vero ſane principio, ut publici juris facerem, adduci potui, quod addenda multa, multa quoque examinanda attentiore cura exiſtimarem, cujus ſuſcipiendi laboris otium & facultas tot aliis laboribus obruto mihi vix ſuppetiit. Quamobrem autem nunc, ut facerem, commotus fuerim, cauſa hæc eſt. Accidit namque, ut in bibliopolarum quoque manus delineationes iſtæ venirent, quorum cum alii, tum inprimis ii, qui nunc ſuis ſumtibus edunt, *Nicolaus*

Fœr-

Fœrsterus & filius, ut a se vulgari sinerem, summis precibus flagitarunt. Quæ res effecit, ut, ne forte inscio me & invito a bibliopola quopiam lucri cupiditate ducto ederentur imperfectæ adhuc & describentium fortassis mendis fœdatæ, omnino ducerem metuendum. Accessit, vt quidam Perillustris Minister Status ad eandem rem me incitaret, cui obsequi gloriosum ducerem. Itaque de otio meo, quantulumcunque id est, tantum temporis detraxi, ut utramque illam delineationem pervolutarem, limarem, amplificarem, et in eam, qua nunc prodit, formam redigerem, denique, ut typis exscriberetur, bibliopolis traderem. Neque

vero

vero inprimis hac in processum criminalem introductione jus quoddam delineare criminale Germaniæ commune mens fuit, de quo exstant jam tot alii scriptores luculenti doctique, qui eam prudentiæ juris partem satis ample sunt persecuti. Nos potius dicere de jure criminali Luneburgico, quæ fuerunt dicenda, instituimus omittentes ea, quæ ex communi jure a tot aliis jam sunt exposita. Hæc te ignorare, lector, nolui. Ceterum quæ typographi sunt incuria me absente menda commissa, quorum quidem potiora separatim indicaui, iis humaniter ignoscas velim. Vale. Scribebam Cellis Luneburgicis IX. Cal. Maji cIↄ Iↄcc XXXII.

B. C. D.

INTRODVCTIO
IN PROCESSVM CRIMINALEM
LVNEBVRGICVM.

CAPVT I.
DE ACTIONIBVS POENALIBVS JVRIS ROMANI EX DELICTO PROFICISCENTIBVS.

Obligatio oritur omnis ex facto vel licito vel illicito. §. I.

Actiones Juris Romani pœnales ortæ ex facto illicito hodie in usu non sunt. §. II.

Neque actiones mixtæ. §. III.

Quæ dantur hodie, non ex Jure Romano, sed Legibus provinciarum & statutis proficiscuntur. §. IV.

Pœna hodie omnis ordinarie fisco applicatur. §. V.

Limitatio hujus regulæ. §. VI.

Delicta quomodo Jure Romano distinguantur. §. VII.

Actiones ex delictis privatis. §. VIII.

Actiones ex criminibus extraordinariis. §. IX.

Actiones ex criminibus publicis. §. X.

Distinctionis usus hujus hodiernus nullus. §. XI.

I.

OBLIGATIO, quæ actionem in foro producit, oritur omnis vel ex FACTO LICITO, pollicitatione nimirum aut conventione, vel ex FACTO ILLICITO, quod delictum, sive maleficium appellamus. §. *fin. Inst. de act.* Si quis obligatur ex facto licito, is ad dandum aliquid, faciendum, vel præstandum adstringitur, at ex illicito facto idem obligatur inprimis ad patiendum, hoc est ad pœnam sustinendam.

§. II.

Actiones Juris Romani *pœnales*, quibus pœnam lege tributam nobis exigimus, quales sunt furti, §. 18. *J. de act.* albi corrupti, *L.* 7. *pr.* & §. 1. *ff. de JCtione*, si quis patronum vel parentes sine venia in jus vocaverit, *L.* 24. *ff. de in jus voc.* vel in jus vocatum vi exemerit, *L.* 5. §. 1. *ff. ne quis eum, qui in jus voc.* & reliquæ, de quibus evolvendus est §. 12. *J. de act.* hodie neque in usu sunt, neque etiam earum quædam moribus nostris conveniunt. Nam etsi quoque Carolus V. Imperator *Ordinationis Criminalis Articulis* 157. & 158. distinctionem furti manifesti & nec manifesti inseruit, atque inde actiones in duplum & quadruplum pœnales concessit, is tamen ordinationis hujus criminalis locus praxi & usu fori nunquam est receptus, quod præter *Mynsingerum*, *Berlichium*, *Carpzovium*, *Harprechtum* aliosque plures fatentur *Oldendorpius class. VII. act.* 3. itemque *Meierus Coll. Argentor. tit. de Furt. th.* 28. & *Lauterbachius Comp. Jur. eod. tit. lit. Uu. p. m.* 656.

§. III.

Neque vero superest usus *mixtarum* actionum pœnalium, quibus partim rem nostram, vel nobis debitam, partim pœnam Romanorum legibus tributam nobis persequimur, quo pertinent inprimis actiones vi bonorum raptorum, L. Aquiliæ, &

& quæ ſunt reliquæ in duplum, triplum & quadruplum, quas recenſet Imperator §. 19. 23. 24. 25. 27. *J. de act.* Adde hoc loco *Wiſſenbachium ad Dig. Diſp.* 29. *th.* 17. *B. Thomaſii Diſſert. de Uſu act. pœn. Jur. Rom. in for. Germ. Dni. Cocceji Jus Controv. tit. de Calumn. Qv.* 1. *& tit. de Obl. & Act. Qv.* 10. *Dni. Heineccii Elem. Jur. ſec. ord. Inſtit. tit. de act.* §. 1180. aliosque ſcriptores a *Coccejo* cit. *qv.* 10. allegatos.

§. IV.

Nec eſt, quod nobis opponas Georgii I. Regis & Electoris noſtri quondam clementiſſimi, glorioſæ memoriæ, *ordinationem Juſtitiæ præambulatoriam* dictam, (**das vorläufige** *Juſtiz-Reglement*) in qua extrema contra eos, qui judiciales ſportulas plus juſto exigunt, in duplum actio conceſſa eſt, itemve *Jus Statutarium Civitatis Luneburgenſis P.* 8. *tit.* 42. actionem in duplum adverſus cohæredem, expilantem hæreditatem, proponens. Neque enim actiones iſtæ Juri Romano, ſed ſpeciali Principis conſtitutioni & ſtatuto originem ſuam debent. Quod vel inde ſatis clare apparet, quia actio de ſportulis condictitia apud Romanos dabatur in triplum, ſecundum §. 24. *J. de act.* expilatæ vero hæreditatis actio mixta nulla, ſed quæ adeſt, ad pœnam extraordinariam propoſita eſt, *L.* 1. *pr. ff. expil. hæred.* Potius quod ſtatuta noſtra in cauſis his maxime ſingularibus duntaxat actionem mixtam pœnalem dant, id ipſum, quam reliquæ privatæ pœnæ a fori uſu alienæ ſint, ſatis commonſtrat. Conferatur *Dn. Coccejus cit. Qv.* 10. Neque vero eſt contrarium, quod in Judiciis noſtris provincialibus (**Land- oder Bruch-Gerichten**) arbores ex ſylvis publicis & foreſtis cædentibus & auferentibus dupli pœnam triplive dictari uſurpatum ſit. Palam eſt enim, duplum hoc triplumve non privatis tribui, ſed fiſco, aliter atque in actionibus pœnalibus Romanis. Plane & in delictis hujus generis aliis, quæ arbitrarie hodie coercentur, pœnæ nomine condemnari reum poſſe in duplum vel triplum,

 ego

ego nullus dubito. Et ita memini a Cancellaria Cellensi Officialem quendam repetundarum reum condemnari in quadruplum, per L. 5. ff. *ad L. Jul. Repet.* & L. 1. *C. eod.*

§. V.

Actiones igitur pœnales & mixtæ hodie in usu non sunt. Sequitur hinc, secundum regulam pœnam hodie omnem applicari fisco. *Dn. Heinecc. cit.* §. 1180. Mulctæ enim apud Germanos fuerunt semper fructus Jurisdictionis, 2. *F.* 56. unde præter Magistratum nemo eas exigere potest. *Rosenthal. de Feud. Cap.* 5. *Concl.* 62.

§. VI.

Dixi *secundum regulam.* Moris enim est, ut interdum pœna piis causis applicetur. Deinde quod affirmavimus, limitandum est in iis causis, quibus partem pœna privatis ferendam lege publica indulsit Princeps, qualia in nostris terris Electoralibus adsunt exempla in D. Georgii Wilhelmi **Tobacks**-*Impost*-**Ordnung** de An. 1704. §. 28. 30. & 31. itemque in Edicto Electorali **wegen des Schweine-Bürsten-Handels** de *d.* 26. *Apr.* 1710. §. 3. in *Cont. suppl.* **der Landes-Ordnung** *pag.* 569. Præterea quoque restringendum id est, quando Judex vel integram pœnam, vel ejus partem actori sententia lata tribuit, quod fieri interdum solet in Camera Imperiali. Exempla recenset *Blumius Proc. Cam. C.* 30. §. 59. *&* 61. Verum id fit in specialibus caussis longeque aliter ac Jure Romano. Potius Judex pœnæ partem applicare privatis nequit, nisi lex id jubeat, cum alias in dubio fisco applicanda sit. Vid. *Blum. cit.* §. 61. Postremum a regula conventionales pœnas excludimus, quas paciscentes in casum non servati contractus inter se constituunt. Sed hæc quoque conventionalis pœna non quidem actione pœnali, sed actione ejus contractus, cui adjecta, petitur. Pertinet enim ad rei persecutionem, & succedit in locum ejus, quod interest. *Hopp. Comm. ad* §. 18. *J. de Act.* verb. *pœnæ persequendæ caussa.*

Neque

Neque pœna conventionalis & præstatio ejus, quod promissum, simul peti potest, quamvis pœnam consecutus, id, quod pluris tua interest, petere non prohibearis. *Lauterb. Coll. Pand. tit. de contrah. emt.* §. 76. *Vinnius ad* §. *fin. J. de V. O. n.* 6. *Franzk. Exerc.* 2. *Qv.* 9. *n.* 6.

§. VII.

Jure Romano *delicta* in tria genera dispertiuntur. PRIVATA directo ad privatorum læsionem tendunt, veluti furtum, rapina, damnum injuria datum, & injuria; PVBLICA publico judicio & animadversione publica vindicabantur, EXTRAORDINARIA vero certa lege publicorum judiciorum nulla, sed extra ordinem coercebantur.

§. VIII.

Ex delicto PRIVATO agebatur ordinarie ad id, quod privatorum interest, & ad pœnam actori applicandam, sic tamen, ut ex eodem agi quoque extra ordinem posset ad pœnam criminalem, per *L. fin. ff. de Delict. priv.* Exemplum *L. ult. ff. de Injur.* exhibet. Quin hodie quoque ex privato delicto ad id, quod privatorum interest, in judicio experiri possis, dubium est nullum. At actiones istæ ex delictis extraordinariæ privatis, exceptis causis injuriarum, & damni injuria dati, hodie in usu non sunt Nam furtum & rapina Germanicæ gentibus originis visa semper publica sunt, quia tam furtis & rapinis, quam homicidiis publica securitas violatur. *Dn. Heinecc. cit. loc.* §. 1035.

§. IX.

Succedunt delicta EXTRAORDINARIA, ex quibus ortæ actiones aliæ erant *privatæ*, quæ dabantur ei, cujus interest, velut actio de sepulcro violato, *L. 6. ff. de sep. viol.* actio expilatæ hæreditatis, *L. 1. ff. Expil. hæred.* actio de stellionatu, *L.* 3. §. 2. *ff. Stellion.*, aliæ *populares pœnales*, quæ dabantur cuilibet ex populo ad pœnam ordinarie actori applicandam, quas

recenset *Gothofredus in not. ad L. ult. ff. de popul. act. lit. t.* & *Heineccius c. l.* §. 1028. *sqq.* Hæ quidem dabantur vel *directo* cuivis ex populo, veluti actio de albo corrupto, *L. 7. pr. ff. de JCtione*, de Aleatoribus, *L. fin. C. de Aleat.* actio ex SCto Syllaniano, *L. 25. §. 2. ff. ad SCt. Syllan.* actio de dejectis, si inde liber homo occisus, *L. 5. §. 5. ff. de his qui effud. vel dejec. §. 1. J. de Obl. quæ quasi ex del. or.* vel tantum *in subsidium*, eo nimirum, cujus interest, agere nolente, quale exemplum præbet actio de sepulcro violato, *L. 3. §. 6. ff. de Sep. viol.* At hæ vero actiones hodie itidem usu desiere. Omnibus enim iis in causis hodie pœna non actori, sed fisco adjudicatur.

§. X.

Quæ recensentur *L. 1. ff. de Jud. publ.* delicta PVBLICA, eorum vindicatio per *accusationem* fieri solebat, *t. t. ff. de Accus. & Inscript.* Sed accusationes a privatis raro quoque hodie instituuntur. Nam utilem quidem, sed & perniciosam esse Reip. accusandi licentiam, jam agnovit *Cicero* in *oratione pro Sexto Rosc. Amer. c.* 20. Unde a Romanis quoque accusationes promiscue non admittebantur, *L. 7. pr. C. de Accus.* Speciatim ab accusando repellebantur mulieres & pupilli, itemque milites, *L. 8. ff. de Accus.* servi, *L. pen. C. de his qui accus. non poss.* pauperes, *L. 10. ff. de Accus.* aliique excepto crimine læsæ majestatis, *L. 7. ff. ad L. Jul. Maj.* & causa annonæ, *L. 13. ff. de Accus. & L. fin. §. f. ff. ad L. Jul. de Ann.* vel si suam suorumque injuriam persequerentur, *L. 11. pr. ff. de Accus.*

§. XI.

Hinc patet, distinctionem istam inter privata, publica & extraordinaria delicta hodie apud nos usum habere vel exiguum vel plane nullum. Sunt enim nobis omnia delicta publica, eo nimirum respectu, quod non expectato accusatore Judex contra delinquentes ex officio procedat in eosque animadvertat. Conf. *Thomasius ad Inst. Justin. tit. de Obl. quæ ex del. nasc.*

CAPVT

CAPUT II.

DE PROCESSU ACCUSATORIO.

Accusationes minime abolitæ. §. *I.*
Quare propemodum hodie desierint. §. *II.*
Inscriptionis in crimen hodiernus usus. §. *III.*
Accusationum facies hodierna. §. *IV.*
Forma procedendi in accusatorio Processu. §. *V.*
Quo differat a Civili. §. *VI.*
Accusationum in terris Brunsuico-Luneburgensibus status. §. *VII.*
De mixto Processus Criminalis genere in terris Bremensibus. §. *VIII.*
Cur auctor potius de Processu Inquisitorio acturus sit. §. *IX.*

§. I.

ACCUSATIONES hodie raro institui, *cap. præc.* §. *X.* monuimus. Neque tamen propterea vel abolitas eas, vel plane in desuetudinem abiisse, existimandum est. Quod si enim privati onus accusationis subire velint, repulsam a limine judicii se laturos, minime putent.

§. II.

Sed quod privati ab accusationibus hodie abstinere soleant, id efficit onus sportularum judicio exsolvendarum, accusatori incumbens, neque non probandi delicta difficultas, & quod accusator, deficiente imputati delicti probatione, injuriarum reus fiat, includendus carceri tam diu, per *Ord. Crim. art.* 12. donec cautionem fidejussoribus datis de restituendis, si succubuerit, expensis dandaque satisfactione ob injuriam illatam præstiterit.

§. III.

Subscriptio vero *in crimen L.* 7. *pr. ff. de Accus. & Inscr.* cum pœna talionis stabilita in *L.* 17. *C. de pœn.* & *L. fin. C. de Acc.* hodie

hodie quidem plane exulat. Conf. *Brunnem. ad L. fin. ff. ad SCt. Turpill. n. 2.* & *Eckold. ad ff. tit. eod.* §. 3. Genevenſibus tamen in more eſſe, neminem ob delictum capi, niſi una cum reo accuſator ejus ſponte ſe ad vincula offerat, ideoque *Johannem Calvinum* contra *Servetum*, ne ipſi vincula ſubeunda eſſent, famulum ſuum *Fontanium* (*de la Fontaine*) dictum ſubſtituiſſe accuſatorem, id edocuit nos *Venerandi Dni. Abbatis Joh. Laur. Moshemii Hiſtoria Michaelis Serveti* §. *XXVII.*

§. IV.

Generatim igitur tenendum, tametſi accuſationes hodie cuivis ex omni delicto, quin privato quoque permittantur, plerosque tamen in terminis denuntiationis nudæ ſubſiſtere, ulteriorem poſtea delicti & inveſtigationem & coercitionem Judicis officio committentes, etſi quæ denuntiant, ea indiciis quoque & argumentis ad inquirendum idoneis veri reddere ſimilia debent. Quanquam multis in locis accuſationis quodam modo crimina Procurator fiſci hodie adhuc perſequitur.

§. V.

Ceterum qui inſtituere proceſſum accuſatorium volet, *libellum* offeret eodem modo, quo ceteri libelli, compoſitum, ſed qui contineat annum, menſem, diem, locum & perſonam ſociam, nec non ſubſcriptionem accuſatoris per textus expreſſos in *L. 3. pr. & §. 2. ff. de Accuſ. L. 16. C. de Accuſ. & Inſcript. L. 2. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.* Poſtea eodem modo, ut in Proceſſu civili ordinario proceditur.

§. VI.

Eo differt inprimis a Proceſſu civili ordinario, quod *a*) ſingula in libello accuſatorio indicia punctatim omnia & articulatim ad confuſionem & obſcuritatem evitandam proponenda ſint, *Carpz. Pr. Crim. Qu. 106. n. 24.* *b*) concluſio in eo omitti poſſit, ita ut generatim ſufficiat pœnæ mentio legalis, hoc eſt, quam lex delicto ipſa præſcribit, vel petitio, ut delictum ex

officio

officio puniatur, *Idem c. l. n.* 14. *c*) Accuſator probationem per jurisjurandi delationem ſuſcipere nequeat, & *d*) juramento ſuppletorio locus non ſit, ſed Reus vel ad juramentum purgatorium admittatur, vel gravibus indiciis oneratus pro qualitate pœnæ & delicti tormentis ſubjiciatur. Accuſandi modum ex hiſtoria Romana eleganter illuſtrat *Dn. Heineccius Antiqv. Rom. tit. de publ. Judic.* De perſonis vero Jure Romano accuſare prohibitis dixi *C. I. §. X.*

§. VII.

Accuſatorius proceſſus in terris noſtris *Brunſuicenſibus* & *Luneburgenſibus* raro occurrit, ſed Inquiſitorius obtinet uſu fori. Equidem *Ordinationi Curiæ Provincialis Luneburgicæ* a DD. Henrico & Wilhelmo juniore ao. 1554. promulgatæ *tit.* 46. *& ult.* ſpecialis quædam *Inſtitutio* annexa eſt, quæ, quomodo in cauſis criminalibus procedant, inferiores Judices inſtruit, ſæpiusque accuſatorii proceſſus mentionem facit. Sed nullus tamen, qui accuſationem inſtituat, reperitur, potius omnes in ſola facti denuntiatione acquieſcunt. Adſunt tamen recentiora etiam proceſſus accuſatorii exempla, non a privatis quidem, ſed a *Fiſcali* quodam, quem vocant, inſtituti, qui in iis cauſis **Peinlichen Amts-Anfläger** dicitur.

§. VIII.

In *Bremenſibus* & propinquis *Weſtphalicis* regionibus mixtum quoddam Proceſſus criminalis genus ſervatur. Primum enim ex officio generaliter inquirit Magiſtratus, inveſtigando veritatem facti ſive corpus delicti, Reum indagando & carceri tradendo eumque ſuper delicto ejusque circumſtantiis, ſociis & quæ reliqua ſunt, ſummariter examinando. Qua peracta Inquiſitione generali Fiſci advocatus ad accuſandum excitatur, qui libelli loco articulos quosdam exhibet, ut judex reum ſuper iis examinet. Reſponſio ad articulos iſtos rei litis conteſtationis loco habetur, quo negante delictum advocatus Fiſci ac-

cusator articulos probatorios simul cum denominatione testium exhibet, vel ad priores articulos negatos ab Inquisito in examine testes examinari petit, admissis quoque a parte rei ejusque defensoris Interrogatoriis & Articulis reprobatoriis. Postremum utrimque deductiones fiunt probatoriæ & reprobatoriæ atque ad sententiam concluditur. Qui procedendi modus nuper quoque apud nos servatus est in causa criminali contra den Teich-*Inspectorem O.*

§. IX.

Sed quoniam is procedendi modus parum distat a Processu ordinario in causis civilibus usitato, istum nunc seponimus. Potius Processum, quem Inquisitorium vocant, tanquam magis usitatum, quidque observandum in eo, paucis exponere lubet, præsertim cum per inquisitionem procedendi modus Legibus provincialibus nostris Luneburgicis expresse receptus & approbatus sit. Conf. **Unterricht H. H. Henrich und Wilhelm** *jun.* **wie in Peinlichen Sachen** &c. §. 4. verb. **entweder auf Anklagen oder Amts halber, oder durch den Weg der** *Inquisition* **oder Erforschung** &c. it. §. 5. verb. *indicia*, **darauff** *ad Inquisitionem procedi***ret worden, fleißig auffschreiben** &c.

CAPVT III.

DE INQVISITIONE IN GENERE.

Inquisitio quid. §. *I.*
Ejus fundamentum. §. *II.*
Vestigia ejus quædam. §. *III.*
Inquisitionis remedium ordinarium Germanis. §. *IV.*
An optimum sit. §. *V.*
De Constitutione Carolina dissertatio Thomasii. §. *VI.*
Collatio nævorum processus Inquisitorii & Accusatorii. §. *VII.*

§. I.

§. I.

INQVISITIO est legitima Judicis ex officio procedentis super delicto informatio (*Brunn. Proc. Inquis. cap.* 1. *n.* 2.) conjuncta cum potestate coercendi & puniendi confessum aut convictum.

§. II.

Habet Fundamentum suum in *jure Canonico*, (*caus.* 23. *qu.* 5. *c.* 32 *cap.* 9. 21. & 24. *X. de Accus.*) *ordinatione Carolina criminali*, (*art.* 8. 214. & 219. alibique passim) & speciatim in *ordinatione politica Luneburg. Ducis Christiani de an.* 1618. (*c.* 4. §. 2. & *c.* 7. *per tot.*) Adde his, quæ *Cap. præc.* §. *ult.* adduximus.

§. III.

Neque processus inquisitorius a jure divino abhorret, quod patet ex *Deuteron. c.* 13. *v.* 12. *sqq.* & *c.* 17. *v.* 4. neque juri Romano idem plane fuit incognitus, quod constat ex *L.* 13. *ff. de Off. Præs. L.* 1. *C. de cust. reor. L.* 7. *C. de Accus. Nov.* 128. *c.* 21.

§. IV.

Moribus certe Germaniæ res clara est, adeo ut processus inquisitionis, licet jure Romano fuerit extraordinarium remedium, consvetudine sit ordinarium.

§. V.

Utrum bene, an male hic procedendi modus a Germanis sit receptus, id excutere supersedemus. De qua re, si placet, confer *B. Thomasium in Diss. de origine processus Inquisitorii.*

§. VI.

De occasione Constitutionis Carolinæ criminalis, ejusque conceptione & intentione idem *Thomasius* speciali quadam dissertatione ex instituti ratione egit.

§. VII.

Inquisitionis processum *nævis* plurimis laborare haud equidem diffitendum, eodemque sæpius impios Judices & imperitos abusos esse, de eo exstant exempla non pauca. Nihilomi-

nus quodam modo accusatione tolerabilior videtur inquisitio. Ex ista enim oriuntur odia inter cives implacabilia, plurimaque in rep. delicta manebunt impunita, si accusator nunquam non expectandus prius sit. Neque defuere apud Romanos processui accusatorio nævi, qua de re testantur sanctiones contra prævaricatores in judicio publico constitutæ. *t. t. ff. & C. de Calumn. & Prævaric.*

CAPVT IV.

DE IVDICE IN CAVSIS INQVISITIONVM EIVSQVE IVRISDICTIONE.

Jurisdictionis facies hodierna discrepat a Romana. §. *I.*
Divisio JCtionis Romana. §. *II.*
Divisio JCtionis in superiori Germania. §. *III.*
Jurisdictio superior & inferior. §. *IV.*
Quid ad JCtionem inferiorem pertineat. §. *V. VI. VII. VIII. IX. X. XI.*
Mulctæ stuprorum quæ ad nobiles spectent. §. *XII. XIII. XIV.*
De stupro altera & tertia vice commisso. §. *XV.*
Jus nobilium puniendi famulos delinquentes. §. *XVI.*
Ad quam JCtionem mulcta ob canes fustibus solutos pertineat. §. *XVII.*
De executione mulctarum in Judiciis provincialibus irrogatarum. §. *XVIII.*
De clerico delinquente. §. *XIX.*
De Canonicorum capitulis & virginum cœnobiis. §. *XX.*
De Curiis provincialibus. §. *XXI.*
De Camera Imperii. §. *XXII.*
De querela nullitatis apud Cameram instituta in criminalibus Causis. §. *XXIII.*
Itemque in Supremo Tribunali Cellensi. §. *XXIV.*
De Proto-Præfecto Cellensi. §. *XXV.*
Coercitiones stuprorum ad quem pertineant. §. *XXVI.*
Locutionum quarundam significatio. §. *XXVII.*

Signifi-

Significatio verborum **höhest und siedest.** §. *XXVIII.*
De voce **Ungericht.** §. *XXIX.*
An Judex criminalis sub obtentu connexitatis causæ super delictis, quatenus ex iis civiliter agitur, cognoscere possit. §. *XXX.*
Kressii dissertatio. §. *XXXI.*
De verbis **binnen und buten Dorffs.** §. *XXXII.*

§. I.

MOribus nostris, qui hodie vigent, longe aliam esse jurisdictionis faciem, atque ejus, quæ depingitur Romano Jure, nemo quidem facile negabit.

§. II.

Apud *Romanos* divisa JVRISDICTIO fuit in CIVILEM & CRIMINALEM. Hanc solebant *merum imperium* appellare, quod consistebat in *potestate gladii ad animadvertendum in facinorosos*, L. 3. *ff. de Jurisdict.* omnesque pœnas, etiam mulctam & carcerem, si ob delictum imponerentur, continebat. *Hahn. ad Wesenbec. d. t. n. 6.* Appellationis hujus rationem egregie explicuit *Ger. Noodt de Jurisdict. & Imper. L. I. C. IV.* At jurisdictio civilis, cui *mixtum Imperium* adhæsit, nisi quæ necessaria ad tuendam eam jurisdictionem erat, pœnam non continebat.

§. III.

Germanorum moribus hæc juris Romani distinctio secundum effectum §. *præced.* expositum nunquam obtinuit. In superioris enim Germaniæ regionibus distinguitur JCtio in **Fraischliche und Vogteyliche Gerichte,** vel **Zent- und Vogtey-Gerichte.** CENTENARIA continet JCtionem criminalem, de qua conferri amplius potest *Wehnerus in Obs. sub voce:* **Zent,** itemque *Besoldus* & *Speidelius ead. voc. Leucht. Tract. de JCtione Diss. 3. per tot.* & *Gundling. ad ff. tit. de Jurisdict. Jur. Patr.* §. 12. *sqq.* Judex quoque hic dicitur **der Zentgraff.** JCtio VOG-

TEIÆ vero eſt ambigua. Aliis enim locis reſtringitur ad ſolas cauſas civiles, aliis leviorum delictorum coercitionem comprehendit, interdum quoque merum imperium totum continet, atque hinc JCtionis hujus Vogteiæ uſus pendet ex obſervantia & poſſeſſione. Vid. cit. *Wehner. Beſold.* & *Speidel. voce:* **Vogt, Vogtey-Gericht,** *Leucht. cit. Tr. Diſſ.* 4. *de JCtione Vogteiæ,* & *Gundling cit. loc.* §. 15. Neque tamen confundenda ſunt hæc judicia centenaria cum Judicio *Centumvirali* Romanis olim uſitato, de quo edidit ſpecialem libellum eamque rem ex antiquitatibus Romanis eleganter illuſtravit *Sibr. Tet. Siccama.* Neque confundenda Jurisdictione Vogteiæ eſt cum jure *Advocatiæ,* de quo Scriptores Juris publici conſulendi ſunt.

§. IV.

In noſtris regionibus obtinet diſtinctio inter Jurisdictionem SVPERIOREM & INFERIOREM (ALTAM & BASSAM) **hohe und niedere,** vel **Blut- und Erb- Gerichte.** Quæ diſtinctio licet juri Saxonico originem ſuam debeat, nihilominus etiam abrogato hoc jure in hisce terris retenta eſt. Conf. *Introd. noſtra ad Proc. civil. P. I. C. X.* §. *XI.*

§. V.

Jurisdictionem BASSAM, ſive INFERIOREM continere quoque cognitionem & coercitionem *delictorum leviorum,* nemo quidem eſt, qui dubitet. Quænam vero ſint delicta leviora, id in Ducatu quidem Guelpherbytano, teſtante *Hahnio in Comm. ad Weſenbec. tit. de JCtione N. XI.* per Conſtitutionem D. Julii deciſum, in Ducatu vero Luneburgico nondum ſatis determinatum eſt.

§. VI.

Inter *Præfecturam* & *Civitatem Dannebergenſem* transactione quadam ſpeciali de d. 16. Januar. 1694. confirmata a Georgio Wilhelmo Duce controverſia hæc ita eſt compoſita, ut injuriarum actiones civiles ad inferiorem Judicem pertineant,

crimi-

criminales, & si qua pecuniaria pœna, quæ XX florenos Lubecenses excedat, petatur, ad superiorem spectent. Verba hæc sunt: Vierdtens was *in specie* die *Injuri*en betrifft, die in der Stadt vorfallen, so ist Ihro Durchl. Wille, daß wenn darinnen *civiliter* geklaget, von Bürgemeister, Gericht Schultzen und Rath, wenn aber in selbigen peinlich, entweder auf Haut und Haar, Leib und Leben, oder eine Geld-Busse über 20. Lüb. Gülden geklaget wird, von dem Amte rechtlich *cognosci*ret und gestraffet werden solle ꝛc. ꝛc. Sculteti quoque Dannebergici muneris diplomate hæc verba continentur; Die Fälle aber, so zu dem Ober-Gerichte gehörig, sind diese: Ketzerey, Zauberey, Kirchenraub, Ehebruch, Vergifftung und alle andere Ubelthaten, die auf Haut und Haar, Leib und Leben zu bestraffen ꝛc. ꝛc. Verum an inde effici possit, reliqua delicta, quæ pœna mortis, vel corporis afflictiva non sequitur, in levioribus referenda esse, ideoque ad JCtionem bassam pertinere, de eo vehementer dubito propterea, quod in ipsa allegata transactione pecuniaria pœna XX florenorum Lubecensium summam excedens Judici, sive Præfecto Ducali altam JCtionem in civitate ista exercenti vindicatur. Præterea admissa ea sententia sequeretur illud quoque, quod absurdum maxime est, spectare delicta, quibus relegationis pœna est imposita, ad coercitionem Judicis inferioris, propterea quod relegatio non sit pœna corporis adflictiva. Id quod nemo tamen unquam affirmabit.

§. VII.

Ego sic existimo, interpretationem & solutionem quæstionis, quænam delicta leviora ad JCtionem bassam pertineant, desumendam esse ex Jure Saxonico, cui, quod antea dixi, ea JCtionis divisio originem suam debet. Sic igitur nihil ad illam spectabit, nisi verbales injuriæ, & reales, quæ fiunt pulsando, verberando, itemque ictus, qui in rixa ex impetu quodam & lascivia, non consilio animove præmeditato fiunt, quosque

que nec mors, nec membrorum delumbatio sequatur, nimirum Haarrauffen, Schläge, die nicht tödtlich sind, noch Lähmde bringen, daraus auch keine Wunde wird, als braun und blau, Nasen-Bluten, Maulschellen, Zahn-Bluten, so die nicht wackeln rc. de quibus videri potest *Carpzovius in Proc. Crim. Qv.* 109. *ibique allegatum Responsum.* Add. *Mylerus ab Ehrenbach de Principibus & Statibus Imp. C.* 48. §. 7.

§. VIII.

An punitio *parvi furti*, quin & *iterati* eo pertineat, dubito maxime idcirco, quia *Ordinationis criminalis articulus* 157. parvo furto simplici semel commisso carceris temporarii, eidem iterato vero *articulus* 161. numellarum aut relegationis pœnam dictitat, quarum pœnarum irrogatio, prout *JCti Helmstadienses* alias dissentientes in Responso apud *Hahnium c. l.* fatentur ipsi, non ad bassam jurisdictionem, sed ad altam spectat.

§. IX.

Jura interim provincialia nostra, si quid *contra Politiam*, vel *noviter promulgatas Constitutiones* committitur, *mulctas*, *quæ VIII. Joachimicos non excedunt*, bassæ quoque JCtioni tribuunt. *Resolutio provinc. Luneb. de an.* 1686. §. 4. sic ait: Wegen der Brüche, so wieder die Policey und andere dergleichen Fürstl. Verordnungen lauffen, sind Ihro Durchl. gnädigst zufrieden, daß die, welche von denselben entweder zu Peinlichen oder Bürgerlichen Gerichten gehören, denen, welche solche Peinliche oder Bürgerliche Gerichte haben, und in so weit sich solche erstrecken, gelassen werden. Clarius quoque hoc constitutum est in *Resolut. provinc. Luneb. de an.* 1695. §. 2. Daß in allen denen Fällen, in welchen wir und unsere *Successor*en die *cognition* und Bestraffung dergleichen an sich sonst nicht verbotener, aber durch eine neue Verordnung straffbar werdender Sachen nicht etwan Uns selber, oder Unsere Regierung aus sonderlichen wichtigen Ursachen ausdrücklich *reservir*en, es bey

dem

dem *foro ordinario criminali vel civili* gelassen werden soll; Wollen jedoch und verordnen annebst hiemit, daß in solchen in die Policey lauffenden Fällen unter den Straffen, so zu den hohen oder niedern Gerichten gehören, jedesmahln der gebührende Unterscheid gehalten werde, und, die allein mit diesen versehen, sich keiner *Cognition* und Bestraffung anderer Verbrechen in dergleichen Policey-Sachen, als welche dahin gehörig, und worauff, wenn sie mit Geld zu bestraffen, nur eine Straffe zum höchsten von Acht Reichs-Thalern gesetzet ist, oder ihrer Natur und Eigenschafften nach gesetzet werden kan, annehmen sollen.

§. X.

Præterea ad JCtionem quoque bassam pertinet jus *affigendi Edicta Principis* per *Declarationem Electoralem de an.* 1711. *in Suppl.* der Landes-Ordnungen *pag.* 177.

§. XI.

Eodem modo *apprehensio delinquentium* ad nobiles inferiori Jurisdictione præditos pertinet, si in *prædiis nobilium propriis* (auf denen Adelichen Sitzen) is, qui deliquit, reperiatur, sin is vero in prædiis rusticorum latitet, Nobilibus ista apprehensio æque ac Præfectis Regiis cumulative competit, per *Resol. provinc. de an.* 1682. §. 4. Quo jure gaudent quoque civitates JCtione alta destitutæ, quod maleficos & delinquentes capere possint, quod evicit *Senatus Cellensis* contra *Præfectum Cellensem.* Add. *Myler ab Ehrenbach c. l. ibique cit. Ddres.* Quorsum refero quoque *jus perquirendi domos suspectas*, (die Haußsuchungen) de quo vid. infra Cap. XV. §. XXXI. sq. itemque *si quod levius commissum in ædibus sacris vel coemeteriis coercendum sit*, quemadmodum id agnovit quoque Advocatus Fisci regius nomine Proto-Vogteiæ contra Senatum Cellensem.

§. XII.

Mulctæ stupri (Huren- oder Sende-Brüche) in *Ducatu* quidem

dem *Luneburgico Cellensi Comitatibusque Hoyensi & Dannebergensi* indistincte pertinent ad *nobiles*, etsi jurisdictione plane destitutos, cum *stuprum est commissum a nobilium horum famulis atque in ipsorum sedibus*, **von ihren in ihrem Brodt und Lohn stehenden Bedienten, in den freyen Adelichen Wohnungen und dazu gehörigen Gebäuden, Schäfereyen und Vorwerckern,** per *Resol. prov. Luneb. de an.* 1695. §. 3. *Vol.* **der Gerichts-Ordn.** *pag.* 567. & *Resol. provinc. Hoyens. de an.* 1697. *art.* 3. *ibid. p.* 585. Quod si ergo famulus famulave extra sedem nobilis, forte in agris, sylvis, vel casa quadam rustica stupro sese commaculaverit, mulcta non quidem ad nobilem, sed potius ad Judicem criminalem pertinet. Sic decisum a Cancellaria Cellensi in causa **Moritz Friderich Frey-Herr von** *Mahrenholtz contra* **das Amt Giffhorn.**

§. XIII.

Quæ dicta sunt de famulis nobilium, ea locum quoque habent in eorundem *administratoribus* & *scribis*. Vid. *Declaratio D. Georgii Wilhelmi de annis* 1696. & 1705. *in Suppl.* **der Landes-Ordn.** *p.* 26. & 27.

§. XIV.

Quin & in *Comitatu Hoyensi* Nobilibus mulctæ stupri debentur, si id in horum colonorum seu villicorum filias committatur: **Wenn ihrer Meyer und Guts-Leute Töchter geschwängert werden,** per *Resol. provinc. Hoyens. cit. loc.*

§. XV.

Mulctam *stupri iterum commissi* in *Præfectura Syckensi* nobiles cum Præfectis Principis dividunt, *Resol. alleg.* §. **Was jedoch** *in specie*. At stupri tertium perpetrati coercitio omnino ad JCtionem altam pertinet, cum istud pœna perpetuæ relegationis sequatur. **H.** *Christiani* **Lüneb. Policey-Ordn.** *cap.* 6. §. 8.

§. XVI.

Gaudent præterea *Nobiles* in *Ducatu Luneburgico Cellensi* hoc beneficio, ut, etsi plane jurisdictione destituti, *famulos*

C tamen

tamen *suos, quibus victum & mercedem dant*, **ihre in deren Lohn und Kost oder** *Deputat* **stehende Bediente** in *delictis & causis levioribus ad JCtionem bassam alias spectantibus ipsi coercere* possint & *punire, si deliquerint in eorum liberis sedibus*, **auf ihren Adelichen freyen Sitzen, Wohnungen, Schäfereyen, Vorwerckern und andern dergleichen freyen Häusern**, per *Resol. prov. Luneb. de an.* 1686. §. 2. Id quod nobiles quoque *Calenbergici* facere possunt, si sint in *diutina eaque continua ejus juris possessione*, **wenn sie es beständig hergebracht haben. Gandersh. L. T. A.** §. 17. **Hannov. L. T. A.** *de an.* 1639. §. 13. Itemque eo jure gaudent nobiles in *Comitatu Hoyensi* degentes, per *Resol. prov. Hoyens. de an.* 1697. §. 2.

§. XVII.

Acriter quoque olim disceptatum fuit, cujus Judicis cognitio sit & mulcta, si *non alligent fustibus canes suos rustici*, **wenn die Bauern ihren Hunden keine Knüppel anlegen**, id quod ab iis exigit *Constitutio Ducis Friderici de d.* 24. *Maji* 1645. *Vol.* **der Pol. Ordn.** *pag.* 400. Sed pro Judice inferiore pronuntiatum tandem est in causa **Anwalds des Amts Bodenteich Kl.** *contra Christian Ludvvig* **von der Wense und dessen Erben Beklagte**, itemque in causa **Bürgermeister und Raths von Zelle** *contra* **den Amts Vogt zu Beedenbostel.** Utramque lubet hic sententiam apponere: **In Sachen Anwalds des Amts Bodenteich, Klägers eines, entgegen und wieder den Hoff-Marschall Christian Ludwig von der Wense, jetzo dessen hinterlassener Erben zu Hollenstädt Vormund, Beklagten andern Theils** *in po.* **verweigernder Beytreibung der Hunde-Brüche, erkennen K. G. B. Z. C. B. L.** *Justiz*-**Cantzley zu Zelle V. D. und R. vor Recht: Demnach das den 25.** *Aug.* **1659. an der jetzigen Beklagten Vettern abgelassene** *No. act.* **9. befindliche** *Rescriptum ex erroneo præsupposito* **ergangen, solches** *præsuppositum* **auch** *per Resolutionem de an.* 1686. §. 10. & *de an.* 1695. §. 2. **aufgehoben**

worden;

worden; diesemnechst in jetzt angezogener *Resolution de an.* 1695. §. 2. deutlich enthalten: Daß in allen denen Fällen, in welchen die gnädigste Landes-Herrschafft die cognition und Bestraffung der an sich nicht verbotenen, aber durch eine neue Verordnung straffbar werdenden Sachen nicht etwan sich selber oder Dero Regierung aus sonderlichen wichtigen Ursachen ausdrücklich reserviren, es bey dem foro ordinario gelassen werden soll; Und sich denn nicht findet, daß die gnädigste Landes-Herrschafft die *quæst.* Brüche sich ausdrücklich *reserv*iret habe; die Gerichte aber denen Beklagten an denen *qv.* Orten und Klägern nicht gestritten werden, es übrigens bey solchen Umständen, und da die Sache *in petitorio* klar und sattsam ausgeführet ist, auf das *Possessorium* nicht ferner ankommt; Als sind Beklagte die von denen Wensischen Guts-Leuten zu Borne und Hollenstädt *No. act.* 2. geforderte 9. Rthlr. Hunde-Brüche beyzutreiben, und dem Amte Bodenteich abfolgen zu lassen nicht schuldig, sondern von der deßfalls gegen Sie angestellten Klage zu *absolv*iren, immassen wir sie davon *absolv*iren, die in dieser Sache aufgewandte Unkosten aber gegen einander *compens*iren und vergleichen. V. R. W. *Publ.* Zelle den 5. *Jan.* 1717. Quæ ſententia, interpoſita Leuteratione a JCtis Wittenbergenſibus ſub publ. 1. Febr. 1718. pure confirmata eſt. Cum poſtea eadem controverſia moveretur Senatui Cellenſi, quatenus Judici patrimoniali pagi Heeſen, cauſa ſatis ventilata actorumque transmiſſione ab Advocato Fiſci petita, obtinuit Senatus, ad JCtorum Marpurgenſium conſilium, hanc ſententiam: In Sachen B. und Raths allhier, Klägers an einem, entgegen und wieder den Amts-Vogt E. zu Beedenbostel, Beklagten am andern Theil, erkennen und sprechen Wir K. G. B. Z. C. B. L. Hoff-Gerichte B. H. R. und A. nach eingehohltem Rath auswärtiger Rechts-

Gelehr-

Gelehrten vor Recht: Daß Klägere den Grund ihrer Klage nothdürfftig erwiesen, und demnach dieselbe, als Gerichts-Herrn des Dorffs Heese bey der Erhebung der Hunde-Knüttel-Brüche zu lassen und zu schützen, diese aber Beklagten zu verabfolgen nicht schuldig ꝛc. *Publ.* Zelle im K. u. C. H. den 14. *Jan.* 1724.

§. XVIII.

Ceterum monendum illud restat, *executionem mulctarum in judiciis provincialibus dictarum* (der Land-Gerichts-Brüche) a Præfectis Principis per literas subsidiales, & antea facta requisitione Judicis JCtionem bassam habentis faciendam esse. Si vero Judex, qui bassa JCtione gaudet, intra quatuor hebdomades has mulctas a subditis non exigat, neque ad Præfectum requirentem mittat, tunc plane hic eas immediate ipse exigere potest, sed ita demum, si, quibus mulcta dicta est, extra terminos ejus, cujus est inferior JCtio, deprehendantur, (wenn die Bruchfällige ausser des Nieder-Gerichts-Herrn Gerichten betroffen werden) per *Resol. prov. Luneb. de an.* 1686. §. 2. In subsidium tamen ut requiratur, literisve vel schedula id notum ei fiat, necessarium plane non est, si nulla JCtione gaudeat nobilis. Sic res decisa est a Cancellaria Cellensi in causa des von *Wittorff contra* des Cammer-Herrn *Schenk* von *Winterstett* Erben.

§. XIX.

Quis in causis criminalibus *Clericorum* sit judex competens, distinctio inter Jurisdictionem altam & bassam facile declaret. Etsi enim apud nos in causis personalibus & si quæ officium ipsorum respiciunt, jurisdictioni Consistorii subsunt Clerici, hujus tamen JCtio præter Jurisdictionem bassam nihil continet, *Carpz. J. Consf. L.* 3. *Tit.* 1. *def.* 5. *n.* 7. Convenit quidem huic doctrinæ *Ordinatio Ecclesiastica Ducatus Luneburgici D. Friderici cap.* 4. §. 4. ubi consistoriis non tribuitur alia

cognitio & JCtio in Clericos, quam ſi officio & partibus ſuis tam doctrina, quam moribus & vitæ ratione non ſatisfaciant, & præterea ſi actione perſonali forte contra eos experiundum ſit, ſecundum §. ſeqv. 7. Quod ſi ergo Clericus commiſerit crimen, cujus vindicatio ad JCtionem altam, ſive ſuperiorem pertineat, pœnaque vel capitalis, vel corporis afflictiva, vel etiam relegationis infligenda veniat, cauſæ cognitio pœnæque tam dictamen quam executio non eſt Conſiſtorii, ſed Magiſtratus ſecularis, *Carpz. cit. def.* 5. *n.* 8. *&* 17. Solet tamen a Judice ſeculari inſtituendæ ante inquiſitionis contra Clericum notitia ad Conſiſtorium perferri, quemadmodum id factum eſt in cauſa *Inquiſ. contra* den Prediger F. zu Lüneburg.

§. XX.

Canonici in Capitulis noſtris Luneburgicis, itemque *virgines cœnobiorum* ſi actione pulſentur, Cancellariæ foro utuntur. Neque in has perſonas in criminalibus quoque cauſis ulla Conſiſtoriorum JCtio eſt. **Lüneb. Kloſter-Ordn.** *adjecta* **der Kirchen-Ordn.** *Membr.* 1. §. **Gleichergeſtalt.**

§. XXI.

Curiæ provinciales in noſtris regionibus (**die Hoff-Gerichte**) in cauſis criminalibus, quæ pœnam corporis afflictivam, vel capitalem, relegationem omniumve bonorum confiſcationem inferunt, jurisdictione deſtituuntur. **Zell. H. O.** *P.* 2. *tit.* 1. §. 2. 3. **Wolf. H. O.** *Tit.* 2. §. 1.

§. XXII.

Eodem plane modo *Cameræ Imperialis* in cauſis criminalibus, ſi pœna capitalis, vel corporis afflictiva infligenda ſit, Jurisdictio nulla eſt, *Blum. Proc. Cam. tit.* 43. §. 6. *ſeqv.* adeo ut neque in iis cauſis a Statuum judiciis ad Cameram provocari poſſit. *Ord. Cam. P.* 2. *T.* 29. §. 5. Ad bannum tamen ibi procedi poteſt, *ibid. Tit.* 20.

§. XXIII.

§. XXIII.

Si Processus criminalis a Statuum Judiciis *nulliter* sit peractus querela nullitatis instituta, ad cognitionem *Cameræ* causa perferri potest, quæ remotis cassatisque nullitatibus Judici per Rescriptum ordinario præscribit, quomodo in causa legitime sit procedendum, *cit. tit.* 29. §. 5.

§. XXIV.

Praxis eadem quoque in *Tribunali Appellationum Cellensi* obtinet, **Churfl. Br. Lüneb. Ober**-*App.* **Ordn.** *P.* 2. *tit.* 1. §. 2. Quin & non tantum, si Judex ordinarius gravamina illata Inquisito in Processu secundum ea, quæ Tribunal præscripsit, tollere nolit, hoc trahere totam causam ad se potest, sed etiam revisio actorum ibi criminalium recte petitur, si hæc causa nobilem quempiam, quive his æquiparantur, Consiliarios, aliosve honestioris ordinis Officiales, vel etiam gradu academico decoratas personas respiciat, **Ober**-*App.* **Ordn.** *c. l.*

§. XXV.

Illud notandum superest, *Protopræfecti Cellensis* (**Groß-Vogt**) hodie in criminalibus causis nullam esse Jurisdictionem, per Rescriptum d. d. 10. Aug. 1706. verbis: **Wir haben auch Unsern Groß-Vogt von** *Bülovv* **von der Mitbeobachtung der** *Criminalium*, **welche sonst die vormahlige Groß-Vögte gehabt, gnädigst** *dispensi***ret.** Excipiuntur delicta leviora in judiciis provincialibus (**auf denen Land-Gerichten**) coerceri solita.

§. XXVI.

Mulctæ quoque *stupri simplicis* cum semel, tum iterum commissi ad Judicia provincialia pertinent. Tertio admissum coercendum est a Cancellariis, propterea quod isti delicto pœna est relegationis imposita, **Lüneb. Pol. Ordn.** *c.* 6. §. 8.

§. XXVII.

Si quis investiatur **mit denen Gerichten im Dorffe**, sine adjectione alia, hæc verba literarum investituræ plenam

atque

atque integram Jurisdictionem inferiorem, sive bassam apud nos significant, quod ita explicuit *D. Georgius Wilhelmus* in *Rescripto d. d.* 15. *Nov.* 1695. *Vol.* der Gerichts-Ordn. *p.* 689. *sq.* Non idem significant verba: **mit allen Rechten und Gerechtigkeiten,** *Knichen. de Jure territ. c.* 1. *n.* 279. *Fred. Mindanus de Cont. caus. c.* 20. *n.* 9. & 10. Neque universitate concessa, Jurisdictio quoque concessa censetur, nisi feuda sint regalia, quibus jus regale Jurisdictionis jam inhæret, *Sixtinus de Regal. L.* 2. *C.* 2. §. 16. *Struv. S. I. F. c.* 6. *aph.* 13. Neque etiam concessam Jurisdictionem probant verba: **Belehnen ihn mit dem gantzen Dorffe,** quia concesso aliquo toto partes solummodo essentiales, quibus remotis pago ipso cum commoditate frui nequeas, traditæ videntur, quarum in numerum Jurisdictio referri plane non potest. Sic pronuntiavit quoque Cancellaria Cellensis in causa **Anwalds des Amts Giffhorn** contra **des Freyherrn von** M.

§. XXVIII.

Sed quid dicendum de verbis: **höhest und siedest,** jurisdictionis voce in literis investituræ non adjecta? v. g. **Wir belehnen** &c. **mit aller Rente, Dienste, Besetz- und Entsetzung höhest und siedest,** mit aller Gerechtigkeit und Zugehörungen &c. Ac non probari ea formula, Jurisdictionem neque altam, neque bassam concessam esse, si de possessione, vel exercitio Jurisdictionis non constet, pronuntiatum est in causa **des Königl. und Churfl. Amts Medingen** contra **die von** *Spörke* **zu Molzen.** Ex observantia enim subsecuta sola verba hæc obscura **höhest und siedest** interpretanda sunt. Aliud foret dicendum, si quis investitus fuerit **mit denen Gerichten höhest und siedest.**

§. XXIX.

Vocem **Ungericht** continere Jurisdictionem altam & crimina-

criminalem, putant *Schottelius Tr.* **von unterschiedlichen Rechten in Deutschland** *C.* 8. §. 5. & *B. Gundling in Digestis tit. de JCtione pag.* 143. Dubiam quidem hanc sententiam facere videtur, quod vox **Ungericht** in veteri jure Saxonico plerumque delictum denotet, ut in *glossa Juris Weichbildici art.* 89. **Ungericht heisset alles, was wieder Recht geschicht, und ist eigentlich eine Schmachheit genannt.** Eadem habet *Glossa Juris Provincialis Saxonici L. I. Art.* 89. & *Jus Weichbildicum Art.* 82. **und klaget dem Fronboten und den Schöppen und den Dingleuten das Ungericht, das an ihm gethan,** i. e. injuriam sibi illatam, nec non *Jus Provinc. L. I. Art.* 61. **und er um Ungericht klaget,** alibique passim. Verum hanc vocem **Ungericht** ipsam quoque Jurisdictionem & cognitionem de criminibus significare, *Jus Provinciale L. I. Art.* 57. satis clare exponit verbis: **Diß ist geredt von dem Gohgrafen, den man wehlet zu einem Ungerichte,** hoc est, qui ad cognitionem commissi delicti deligitur. Sic enim interpretari allegata verba, ac si ad perpetrandum facinus deligeretur Judex, absonum foret. Sequitur hinc illud, verba ista: **Wir belehnen mit dem Ungerichte rc.** omnino Jurisdictionem criminalem tribuere.

§. XXX.

Quæri solet, an *Judex criminalis connexæ causæ nomine de delictis, quatenus inde civiliter ad id, quod interest, agitur, cognoscere possit* in injuriam ejus, cujus est inferior Jurisdictio? Et magis est, ut non possit. Nam primum certum illud est, nasci ex eodem delicto actiones duas, quarum altera criminalis tendit ad vindictam publicam, sive ut infligatur pœna, altera civilis ad persecutionem rei vel familiaris vel civilis. *Perez. Comm. ad tit. C. quando actio civ. crim. non. præjud. n.* 2. Tum amplius, quia non ad idem tendunt, actiones has mutuo se non tollere, constat. Præterea quoque nulla in causis civilibus, sed tantum cognitio delictorum, quatenus vindictæ publicæ subjecta

D sunt,

sunt, ad Judicem criminalem pertinet. Contra cum ex iisdem civiliter ad id, quod privatorum interest, agitur, ea est cognitio Judicis civilis, quemadmodum ex actione L. Aquiliæ & injuriarum patet, *Brunn. ad L.* 11. *C. ad L. Corn. de Falsis.* Accedit, quod nulla adsit causarum connexio, cum diversus agendi finis adest, *Mev. P.* 3. *Dec.* 90. *n.* 3. Neque minus huc facit, quod continentia causæ, si Judici super tota lite jurisdictio non sit, locum non habeat, sed potius causa dividenda sit, *Menoch. A. J. Qu. L.* 2. *Cent.* 4. *c.* 376. *n.* 23. Postremo exceptio continentiæ causarum est beneficium partium, non Judicis. Ex quibus quidem argumentis, Judicem criminalem actiones civiles, quamvis ex delicto ortas, nomine connexionis causarum ad se trahere non posse, sed potius finito processu criminali remittendam ad Judicem inferiorem esse causam civilem, satis efficitur.

§. XXXI.

De *jurisdictionis* hujus *criminalis variis* in Germania *generibus* specialem dissertationem conscripsit *Dn. Jo. Paul. Kressius*, JCtus Helmstadiensis, quæ conferri hoc loco meretur.

§. XXXII.

Illud adhuc monendum est, verbis **binnen und buten Dorffs** contineri Jurisdictionem in toto pago, quatenus fines ejus porriguntur omnibusque & agris & nemoribus ad eum pertinentibus, quod patet ex Rescripto Consilii sanctioris Electoralis ad Præfectos Blekedenses dato, quod hic subjicimus: **Es hat der hiesige Rath- und Ober-Hauptmann von** *Spörken* **Sr. Churfl. Durchl. U. G. H. unterthänigst vorgestellet, was Gestallt ihm bey seinem Lehn-Gute Wendewischen die Feld- und Holtz-Gerichte von dasigem Amte streitig gemacht werden wollen, und dannenhero nach beschehener** *Deduci***rung der vor sich habenden** *Fundamenten* **Ansuchung gethan, daß von hier aus,**

aus, wie es solcher Gerichte halber inskünfftige gehalten werden solle, behufige *Declaration* abgegeben und ertheilet werden möchte. Nun ist höchstgedachter Sr. Churfl. Durchl. *Intention* nicht, daß denen von Adel, oder andern Guts-Herren in ihren Gerechtsamen Eingriff geschehe, und ihnen von Dero Aemtern ohne Noth und sonderliche Erheblichkeit einige Beschwerungen zugezogen werden sollen, und halten Selbige insonderheit in gegenwärtigem Fall dafür, daß, weil in dem Lehn-Brieffe über Wendewische die völligen Nieder-Gerichte vor besagtem von *Spörken conferi*ret worden, auch die in sothanen Lehn-Brieffe enthaltene Worte: binnen und buten Dorffs insonderheit auf die vorhin angezogene Gerichte verstanden werden müssen, gedachter von *Spörken* die *Exerci*rung solcher Gerichte nicht allein auf dem Hause und dem Dorffe, sondern auch in der zu erwehntem Gute zugehörigen Feldmarcken, Aeckern und Ländereyen zugehöre, und demselben in deren Gebrauch kein Eintrag vom Amte zugefüget werden müsse ꝛc. Hannover den 26. *Jun.* 1711.

CAPVT V.

DE FORI COMPETENTIA IN CAVSIS CRIMINALIBVS ET DE IVDICE CRIMINALI.

Forum in causis criminalibus triplex. §. *I.*
Forum delicti inchoati vel consummati. §. *II.*
De præventione. §. *III.*
Præventio quatenus in terris Luneb. abrogata. §. *IV.*
Mulctæ stupri ubi solvendæ. §. *V.*
Præventio ubi obtineat. §. *VI.*
Remissionis delinquentium necessariæ exemplum. §. *VII.*
De jure Luneburgico. §. *VIII.*
Alterum necessariæ remissionis exemplum. §. *IX.*

 Tertium

Tertium exemplum. §. *X.*
Exemplum quartum. §. *XI.*
An Judex loci ad recipiendum reum cogi poſſit. §. *XII.*
Remiſſio an denegetur facile & quando. §. *XIII.*
An captio ad alienas preces præventionem faciat. §. *XIV.*
Si quis in confinio occiſus ſit. §. *XV.*
De delictis in via regia commiſſis. §. *XVI.*
De plateis urbium. §. *XVII.*
An JCtio criminalis mandari poſſit. §. *XVIII. XIX.*
De Præfectis & Cancellariis. §. *XX.*
Cautela in mandanda JCtione. §. *XXI.*
Judicium criminale qui conſtituant. §. *XXII.*
Scabinorum uſus. §. *XXIII.*
Mos quidam ſingularis. §. *XXIV.*
Actuarii jurati neceſſitas. §. *XXV.*
Quis in crimine læſæ maj. Cæſareæ judex competens. §. *XXVI.*
An Status Imp. in alterius terris delinquens ad forum delicti trahi poſſit. §. *XXVII.*

§. I.

FORVM in criminalibus cauſis fundatur vel habitatione, ſive domicilio ejus, qui deliquit, vel loco, in quo perpetratum facinus eſt, vel denique apprehenſo eo, qui deliquit. Hinc triplex oritur forum DOMICILII, DELICTI & APPREHENSIONIS. *Lauterb. aliique ad tit. ff. de Judic.* add. *L.* 1. *C ubi de crim. ag.*

§. II.

Forum delicti eſt iterum vel *inchoati*, vel *conſummati.* Hoc in levioribus criminibus reſpicitur, unde in loco, ubi inſinuata eſt injuria ſcripta, vindicari poteſt, ſi ibidem reus reperiatur, *Berlich. Dec.* 181. in gravioribus vero delictis videndum, ubi inchoatum ſit delictum & conſummatum, *Brunn. Pr. Inquiſ. c.* 3. *n.* 14. Sed & in his præferendum eſſe forum conſummati delicti, plane non dubitamus, quamvis alii tum præventionem admittant,

§. III.

§. III.

Quando igitur plures concurrunt Judices, jure communi locum habet *præventio*. Quod ſi alius reum citavit literis, alius comprehendit, hujus cauſa potior eſt, per *dict. L.* 1. *C. ubi de crim.*

§. IV.

Ex *terris Electoralibus* noſtris *Brunſuico-Luneburgicis* exulat *præventio* in *delictis levioribus*, **in Bruchfälligen Sachen**, & Judex domicilii ad locum delicti delinquentes remittere, neceſſe habet, per *Conſtit. Elect. de. d.* 12. *Mart.* 1708. *in Suppl.* **der Landes-Ordn.** *pag.* 138. **daß hinführo in vorgemeldten Bruchfälligen** *Delictis* **nicht das** *forum domicilii*, **noch** *præventionis*, **ſondern allein das** *forum* **der Obrigkeit, in deſſen** *JCtion* **ein ſolches** *delictum* **begangen,** *attendi***ret, und allda** *cognoſci***ret, auch geſtraffet, und zu dem Ende der** *Delinquente* **auf beſchehene gebührliche** *Requiſition*, **dahin** *remitti***ret werden ſoll.** Quæ conſtitutio cum diſerte leviorum tantum criminum, **der Bruchfälligen Verbrechen;** & verbis, quæ priori loco ſunt, **der Bruchfälligen zur Nieder-Gerichtsbarkeit gehörigen Sachen** mentionem faciat, hoc ad alia crimina, quæ ſunt graviora, extendi nequit, ſed in his adhuc obtinebit præventio.

§. V.

Mulctæ ſtupri ſimplicis (**Huren-Brüche**) exſolvuntur, ubi natus eſt infans, **wo das Kind die Welt beſchreyet. Füneb. Pol. Ordn. H.** *Chriſt. cap.* 6. §. 6. Ducatus Cellenſis itemque Comitatuum Hoyenſis & Dannenbergenſis nobilibus mulctas ſtupri a domeſticis famulisve ipſorum commiſſi, deberi, *Cap. præc.* §. *XII. & XIII.* Receſſibus provincialibus quidem probavi. Sed hoc ita, ſi prius quam imprægnatam ejecerit, mulctam exegerit Nobilis, in ejusque ſecuritatem mercedem ejus resve alias retinuerit, vel aliud quidquam legitime fecerit, licet poſtea alibi infantem in lucem edat, **wenn der von Adel**

die Brüche von der Geschwängerten, ehe er sie von seinem Hofe wegschafft, vorher einfordert, und entweder durch Vorenthaltung ihres Lohns, oder auf eine andere rechtliche Art sich versichert, ohngeachtet dieselbe nachmahls an einem andern Orte niederkommt. Sin stuprata famulitio nobilis exeat, antequam hic facinus patratum esse acceperit, pœnamque propterea exegerit, mulcta quidem non ei tribuitur, sed Judici ejus loci, in quo editus est partus, wo das Kind die Welt beschreyet. Vid. *Declaratio Regiminis Ducalis de d.* 30. *Januar.* 1700. *in Suppl.* der Landes-Ordn. *pag.* 39. *sq.*

§. VI.

Extra terras quidem Electorales nostras in provinciis reliquis *Bremensi*, *Verdensi & Lauenburgensi* aliisque regionibus finitimis *præventionem* adhuc promiscue obtinere, dubium non est. Revocanda hoc loco in memoriam sunt, quæ de terris Electoralibus monuimus supra §. *IV. in fine.* Etsi enim *remissiones* delinquentium ad forum commissi delicti necessitatis erant jure Romano, *L.* 7. §. *f.* & *L. ult. ff. de Accus. L.* 28. §. 15. *ff. de pœn.* sunt tamen hodie tantum urbanitatis, *Carpz. Pr. Crim. Qu.* 10. *n.* 54. quamvis Principem in terris suis & regionibus imponere Judici apprehensionis posse necessitatem remittendi delinquentem ad forum delicti, negari plane nequeat, nisi forte hic patrimoniali Jurisdictione præditus sit.

§. VII.

Sunt tamen & hodie quædam causæ, quibus necessitate quadam *remittendus* reus jubetur. Hoc primum fit, si delinquunt milites, wenn der Soldat 3. Meilen von seinem Quartier und *Compagnie* auf frischer That in Straffmäßigem Verbrechen ergriffen würde, oder der *Officier* gegenwärtig und nur 3. Meilen Weges von dannen ist, und gnugsame Versicherung thut, die *Justiz* zu *administri*ren. Tunc forum delicti locum non habere, sed potius militem, qui deliquit, ad Judicem

cem ordinarium ipſius militarem remittendum jubet *Rec. Imp. Ratisb. de an.* 1641. §. **Wir haben** 47. Et hoc jure Civili Romano quoque ſtatutum eſt *L. 9. ff. de exhib. & cuſtod. reor.*

§. VIII.

In regionibus noſtris Electoralibus ſi deliquerunt milites, a Judice loci delicti comprehendi quidem poſſunt, ſed remittendi poſtea ad cohortem ipſorum, diſtinctione ulla non admiſſa, **ſie müſſen an das Regiment, woruntet ſie ſtehen, oder an den nechſtliegenden** *Officier* **von denen** *civil-***Obrigkeiten ausgelieffert werden.** *Conſtit. Elect. de d.* 1. *Febr.* 1712. *in Contin. Suppl.* **der Landes-Ordn.** *pag.* 253.

§. IX.

Alterum exemplum neceſſariæ remiſſionis hoc eſt, ſi poſt latam jam ſententiam condemnatoriam aufugerit reus. Hoc vero propterea conſtitutum eſt, ne eludatur ſententia, *Engelbrecht ad tit. ff. de Judic. th.* 15. Quod alii eo extendunt, ut quidem promiſcue aufugientes carceri traditos remittendos putent. *Mev. P. 9. Dec.* 109. Et hoc de illo quoque affirmant, qui jam reſpondit ad articulos inquiſitionales, & ſic litem conteſtatus eſt. *Sam. Stryk Uſ. mod. Digeſt. tit. de Judic.* §. 27.

§. X.

Tertium exemplum hoc eſt, ſi quis ad reddendas geſtæ adminiſtrationis rationes teneatur. Et hunc ad forum adminiſtrationis geſtæ plane neceſſario remittendum exiſtimant *Covarruvias Pract. Quæſt. cap.* 10. *n.* 4. *in f.* & *Brunnemannus ad L.* 19. *ff. de Judic. n.* 6. & 7. Quod pro communi quaſi lege inter Principes Imperii & Status habitum ſemper teſtatur *Mevius P. 7. Dec.* 392. *n.* 6. & 7.

§. XI.

Quarta ſpecies hæc eſt, ſi Judex requirens profert literas, quibus requiſitus Judex mutuæ viciſſitudinis uſum recepit,

idemque

idemque ſe urbanitatis & humanitatis officium ipſi quoque in eadem cauſa præſtiturum promiſit. Nam ſi certum eſt, ad remittendum delinquentem ex promiſſo obligari.

§. XII.

Sed putandum non eſt, Judicem apprehenſionis *cogere* poſſe Judicem loci, in quo delictum eſt commiſſum, ut *revocet deprehenſum & recipiat. Brunn. Proc. Inquiſ. C. 3. n. 7.* De militibus tamen notandum, eſſe apud nos in terris Electoralibus plane in arbitrio judicii militaris, utrum contra militem delinquentem inquiſitionem coeptam continuare, an hoc militia demiſſo acta Magiſtratui civili ad proſequendam eam ſimul cum ipſo delinquente remittere velit. Hoc ſi fiat, a Magiſtratu civili recipiendus eſt reus, & inquiſitio ipſa ad finem perducenda. *Conſtitutionis Regiæ de d.* $\frac{24.\ Jul.}{4.\ Aug.}$ 1724. verba ita ſe habent: **Ob wol gleich gemeinen Rechtens iſt, daß die Unterſuchung einer jeden Sache bey dem Gerichte, woſelbſt ſie angefangen, zur Endſchafft befördert werden müſſe; So haben Wir dennoch gnädigſt** *reſolv*iret, **daß, wenn hinkünfftig jemand von Unſer** *Militz durante Proceſſu Inquiſitorio* **ſeiner Dienſte erlaſſen worden, und unſer Kriegs-Gericht die Unterſuchung des** *Delicti* **fortzuſetzen, bedencklich fünde, alsdann diejenige** *civil*-**Obrigkeit, die mit den Peinlichen Gerichten an ſolchem Ort verſehen, gehalten ſeyn ſolle, den** *Inquiſitions-Proceß* **gegen ſolchen** *Deliquen*ten **fortzuſetzen und zu vollenführen, das Kriegs-Gericht aber ſchuldig, die bey demſelben verhandelte** *Acta* **auf Erfordern zu** *extradi*ren.

§. XIII.

Ceterum quamvis hodie *remiſſiones* delinquentium non ſint neceſſitatis, ſed tantum urbanitatis, non tamen ſolent facile denegari, ſi delinquens gravius quod delictum, in quod pœna vel capitis, vel corporis afflictiva ſtatuta ſit, commiſerit.

Rei

Rei enim publicæ intereſt, ut exemplum publice conſtituatur in eo loco, quo delictum perpetratum eſt. *Carpz. Pr. Crim. Qv.* 110. *n.* 66. *Stryk. Decade Caſ. forenſ. reſolut. Caſu* 7. Per contrarium in iis delictis, quæ pœna non corporis afflictiva, ſed arbitraria coercentur, ad locum delicti remiſſio non fit. Hinc cautio commendanda eſt, ut a requirente Judice requiſitus ante notitiam delicti, quale ſit, ſibi fieri expoſcat, ne urbanitas ipſi ſua noceat.

§. XIV.

Hoc amplius notandum, qui *ab alio requiſitus*, non ſua ſponte, fugientem reum detinuerit & in cuſtodiam tradiderit Judex, eo, quod comprehendit, præventionem non fundare, potius hujus rei forum eſſe apud requirentem. *Zanger. de Except. P.* 2. *c.* 2. *n.* 3.

§. XV.

Si *in confinio occiſus* reperiatur, alii potiorem ejus Judicis cauſam exiſtimant, in cujus finibus caput inveniatur, alii, ubi pedes. *Carpz. Qv.* 100. *n.* 26. *ſq.* Commodius dicetur, pertinere eo caſu cognitionem ad utrumque Judicem confinem, & hoc declarat *Brunnemannus ad Auth. Quod in provincia C. ubi de crimin. n.* 8. Atque ſic plane judicium mixtum tam ad delicti cognitionem, quam ad executionem pœnæ conſtituendum eſt. *Sam. Stryk. de Jur. Senſ. Diſſ. I. C.* 1. *n.* 17.

§. XVI.

Plane delicti in *via regia* (auf öffentlicher Heer- oder Land-Straſſe) commiſſi & cognitio & coercitio ad ſolum Principem pertinet; ejus enim eſt via regia. *Rhetius Inſt. Jur. publ. L.* 2. *tit.* 20. §. 1. *Zanger de Except. P.* 2. *C.* 1. *n.* 241. Atque de hoc in Regionibus noſtris dubitari propterea plane nequit, quod in viis regiis JCtio nobilibus jure feudi ſpeciatim concedi ſoleat, quo beneficio, ſi hæc jurisdictionis ſpecies ordinaria contineatur, opus non ſit.

§. XVII.

Hoc ad *plateas* tamen *urbium* neutiquam extendendum eſt. Hæ enim in dominio ſunt civitatis, non Principis. Finis quippe regalis viæ ibi eſt, ubi in plateam urbis venimus. *Cæpolla de Servit. præd. ruſtic. c.* 3. *n.* 10.

§. XVIII.

De illo inter Doctores acriter diſceptatur, an *mandari* poſſit *criminalis Jurisdictio*, vel delegari. Quod jure *Romano* non licuiſſe, patet ex *L.* 1. *pr.* & §. 1. item *L. fin. ff. de Off. ejus, cui mand. eſt jurisd.* Cujus quidem ratio hæc fuit, quod Jurisdictio olim criminalis ſpeciali jure competeret, & proinde delegari non poſſet. *Struv. Ex.* 4. *th.* 81. Idem ſecundum *Ordinationem Carolinam criminalem art.* 2. dicendum videtur. Ibi enim nobiles ipſi jurisdictione criminali inſtructi præſidere jubentur criminali judicio, & licet delegatio ob defectum aliquem prorſus quidem haud prohibita ſit, mandari tamen inſcio ſuperiore non debet.

§. XIX.

Sed cum *hodie* longe alia Jurisdictionis facies ſit, ac olim quidem Romano jure, iſtaque Carolina diſpoſitio procul dubio profluxerit ex principiis Juris Romani hodiernæ rerum conditioni haud convenientibus, videmus quoque hac ratione, non tantum nobiles, ſed ipſos quoque Principes deſiiſſe intereſſe judiciis criminalibus. Quod quidem ſine dubio effectum eſt, jure Romano maxime perplexo introducto. Quin hodie ubique aliis exercenda Jurisdictio hæc mandatur. Eſt enim jam patrimonialis, & vendi, locari, oppignorari poteſt, cur non delegari quoque aut mandari? *Dn. Kreſſius JCtus Helmſtadienſis Comm. ad Conſt. Crim. Carol. art.* 2. §. 16. *n.* 2.

§. XX.

In *regionibus* noſtris *Luneburgicis Præfectis* principis & *Officialibus* in cauſis criminalibus cognitio quidem mandata eſt, non item

item ſententiam dicendi jus. Inſtructo quippe inquiſitorio proceſſu, ad Cancellarias Juſtitiæ, quæ ſententiam dicant, transmittere acta debent. Quod ad *Cancellarias*, his quidem poteſtas ſententiam in criminalibus cauſis dicendi mandata eſt. Sed ſi pœna vel capitalis, vel corporis afflictiva, vel denique relegatio, vel etiam condemnatio ad ergaſtulum operasve publicas decernenda, ſententia condemnatoria non ſolum Regis & Electoris noſtri clementiſſimi nomine concipienda, ſed &, antequam executioni mandetur, ipſi Regi & Electori, vel hoc abſente Conſilio ſanctiori Regiminis ad confirmandum, facta ex actis relatione ſimul cum decidendi rationibus transmittenda eſt. Qua demum confirmatione ſecuta, ſententia Præfectis a Cancellariis ad exequendum remittitur. Quod in *Ducatu* quoque *Guelpherbytano* obtinere, palam faciunt *H. W. de Laffert Relationes Criminales*, quæ Cellis Luneburgicis an. 1721. in lucem prodierunt. Sed qui *Jurisdictione* gaudent *patrimoniali*, hac ſententiæ criminalis ad confirmationem a Principe faciendam transmiſſione opus non habent.

§. XXI.

Etſi igitur hodie mandari poſſe Jurisdictionem criminalem, nemo amplius dubitat, tamen, niſi *viris peritis, doctisque & qui rationem conſcientiæ ſuæ habeant*, nemini demandetur. Hinc *Receſſus Prov. Luneb. de an.* 1682. *art.* 1. jubet, **daß diejenigen, denen die Ober-Gerichte verliehen, dieſelben mit verſtändigen, geſchickten und Gewiſſenhafften Leuten nach Anweiſung Kayſers Carl des 5ten Peinl. Hals-Gerichts-Ordnung beſtellen ſollen.**

§. XXII.

Secundum *Ordinationem Carolinam art.* 1. ad hoc judicium criminale conſtituendum præter *Judicem & Actuarium Scabini* quoque requiruntur. *Judex* inprimis ſit pius, religioſus, honeſtus, juriumque peritus. Neque tamen earum rerum ab-

 ſentia

ſentia ſola contra jam peractam inquiſitionem querelam nullitatis dat, niſi in ipſa procedendi forma injuriam ipſi factam doceat Inquiſitus, quamvis exceptionem recte in cauſa inquiſitionis adhuc inſtituendæ ſuppeditet. *Dn. Kreſſius ad art.* I. §. 8. *Ord. Carol.*

§. XXIII.

Quod ad *Scabinos* attinet, eos adhibendos quidem jubet *Edictum D. Georgii Wilhelmi de d.* 26. *Febr.* 1686. *Vol.* **der Zelliſchen Gerichts-Ordnungen** *pag.* 649. Sed nuſpiam Scabinos neque in judiciis noſtris, neque in præfecturis conſtitutos deprehendimus. In his enim Præfecti ſoli cum Actuario (**dem Amt-Schreiber**) omnem inquiſitionis proceſſum inſtruunt, nullis omnino Scabinis adhibitis.

§. XXIV.

Illud ſingulare plane eſt, quod in cauſis criminalibus ex *Vogtejis*, ſeu Præfecturis, Protopræfecto Cellenſi ſubjectis ad Cancellariam transmiſſis, ſi tormentis quis ſubjiciendus ſit, duo ex collegio Senatus Urbici deputati quæſtioni, cum fit, intereſſe debeant. Quin & ſi hujus generis Inquiſito ſententia capitalis publicanda, ad conſtituendum judicium criminale (**Hals- oder Noth-Gerichte**) Magiſtratus civitatis Cellenſis concurrit, adeo ut de manu Conſulis regentis, cui ob eam rem a Cancellaria traditur, ſententiam publicandam accipiat Præfectus Regius. Cujus moris qualis ſit origo, non conſtat. Vulgo quidem mos iſte ex poſſeſſa olim, poſtea abdicata jurisdictione criminali retentus fertur, ſed hæc tamen antiqua fama veritati non congruit, propterea quod omnis abdicatio & repudiatio juris ponat, certumque conſtituat illud, jus hoc antea exſtitiſſe. Atqui Senatui Cellenſi jurisdictio alta, ſive criminalis competiit nunquam. Ac finge, olim ipſi in civitate ſua competiiſſe, certe in præfecturis Protopræfecto (**dem Groß-**

Vogt)

Vogt) ſubjectis nunquam competiit. Veri ſimile igitur eſt, hos Senatus Civici deputatos Scabinorum loco eſſe.

§. XXV.

Actuarium juratum ad judicium criminale conſtituendum juris neceſſitate requiri, res quidem per ſe clara eſt atque manifeſta: Neque Notarius forte Cæſareus apud nos ſufficiet, niſi ſpeciatim is ad acta juraverit. Quin nec ipſe quidem Judex actuarii locum & vicem ſecundum juris rationem ſubibit, niſi Judicis & Actuarii duplex juramentum præſtiterit. *Carpz. P.* 1. *Deciſ.* 94.

§. XXVI.

Sequens quæſtio juris publici eſt, quis in *læſæ majeſtatis crimine Cæſareæ*, ſi *mediati* Imperii *ſubditi* id admittant, *competens ſit Judex.* Cognitionem hoc caſu & jurisdictionem *Imperatorem* ipſum ſibi vindicare, patet ex iis, quæ adducit *Gœrken in Otio Vienna-Ratisbonenſi c.* 5. §. 1. Illud exploratum eſt, non poſſe fiſco ſuo Imperatorem inferre bona, quæ ob hoc læſæ majeſtatis Cæſareæ crimen publicantur, potius, ut hæc cuivis Imperii Principi & Statui in ipſius commodum confiſcanda relinquat, obligari. *Capit. Imp. Caroli VI. art.* 21. *pr.*

§. XXVII.

Illud quoque recte quæritur, an *Status Imperii*, vel etiam *nobilis Imperio immediate ſubjectus*, ſi delinquat in *alterius* cujusdam *Status terris*, trahi poſſit ad forum delicti? Quod negare Cæſarem Imperii Statibus ſibique cognitionem criminis vindicare, exemplo adducto confirmat modo allegatus *Gœrken c. l.* §. 2. Quam Imperatoris pro hac parte prærogativam defendit quoque *Lynker in Præſcriptionibus publicis, Præſcript.* 5. *n.* 13. ex *Conſtitutione Friderici II. apud Goldaſtum Tom. I.* der Reichs-Satzungen *P. I. C. IV. pag.* 84. verbis: **Fürſten und andere Hochleute** ꝛc. Contrarium ſententiam tuetur *Mylerus ab Ehrenbach de Princip. & Stat. Imp. P.* 1. *C.* 20. §. 31. *ibique citati Doctores.*

res. Et hac ratione Rex quoque Daniæ, ut Holſatiæ Dux, in cauſa cædis fraternæ commiſſæ a Comite Ranzovio Imperatori cognitionem omnem negavit. Sed tametſi dirimere eam litem noſtrum non ſit, illud tamen animadverti, verba a Lynkero adducta ex Diplomate muneris Judicis aulici deſumta eſſe, cujus tantum cognitioni eas cauſas non delegare voluit Fridericus.

CAPVT VI.

DE INQVISITIONE GENERALI.

INquiſitio generalis & ſpecialis. §. *I.*
Quo fine differant. §. *II.*
Ordine quam differant. §. *III.*
Quale factum in Inquiſitione requiratur. §. *IV.*
Quid amplius Judici diſpiciendum. §. *V.*
De delictis contra leges divinas & de cogitationibus. §. *VI.*
De ſimultatibus & inimicitiis. §. *VII.*

§. I.

INquiſitio in GENERALEM & SPECIALEM dividitur. Illa inſtituitur, ut, an vere delictum, & a quo potiſſimum & probabiliter commiſſum ſit, cognoſcatur, itemque unde manaverit, & quæ ſit origo circumvolitantis famæ, & ſi qua reliqua ſunt; hæc contra perſonam certam quandam ob delictum, quod revera commiſſum eſſe, jam ex inquiſitione generali apparuit.

§. II.

Maxime igitur *fine* differunt. Generalis enim ſuſcipitur, ut, an & a quo probabiliter delictum ſit commiſſum, cognoſcat judex; ſpecialis, ut poſtquam de delicto conſtat, de auctore ejus promerita pœna ſumatur.

§. III.

§. III.

Ordine item *ſequendi* differunt. Generalis enim præparatoria eſt viamque ſpeciali inquiſitioni ſternit. Plane evenit, ut hæc ſuſcipiatur ſtatim, omiſſa generali, quod fit, ſi in ipſo flagitio, ſeu crimine flagranti deprehendatur reus. Quid enim an delictum & a quo probabiliter patratum ſit, inveſtigare opus eſt, ſi res ipſa fidem faciat, ut deprehenſo reo negandi crimen plane ſit facultas ſublata? Profecto ſic generalis inſtituta inquiſitio, ut reus interea temporis fuga ſibi conſulat, effectura eſt.

§. IV.

Adeſſe vero in omni debet iquiſitione delictum, quod *contra prohibitionem* juris admiſſum ſit. Quorſum apud nos quoque pertinet, ſi quis doloſe decoxerit ſuaque bona dilapidaverit. Nam contra doloſos & fraudulentos decoctores æque ac contra fures actio criminalis locum habet, per *Conſtitutionem Regiam* **gegen die vorſetzlichen und muthwilligen** *Banqueroutirer de d.* $\frac{15.}{26.}$ *Mart.* 1726. cujus verba ea ſunt: **Als wobey auf die bey einem** *Criminal-Proceß* **gegen Diebe ſonſt gewöhnliche Art zu** *procedi***ren, und nach Gelegenheit der Umſtände auf Gefängnis, Banden und auch die ſcharffe Frage, vornehmlich zur** *Manifeſti***rung des** *Corporis bonorum* **zu erkennen.** Sed nec plane delictum grave requiritur, ſufficit factum legibus prohibitum. Quanquam in levioribus delictis forma inquiſitorii proceſſus ſervari non ſolet, ſed ſummaria tunc cognitio ſufficit.

§. V.

Verum nec ad fundandam ſemper inquiſitionem, delictum eſſe, & a quo, ſufficiet, quin Judex quoque diſpiciet, an locum adhuc habeat inquiſitio, forſitan quia delictum eſt leve,

quod

quod ſecundum *L. 6. ff. de Accuſ.* de plano diſcutiendum eſt, vel quod reus jam alibi vel condemnatus ob id & punitus, vel etiam abſolutus ſit. Quod ſi de hoc non conſtat Judici, vel res dubitationem admittat, poteſt hic formare inquiſitionem, donec ſe jam alibi ob id crimen vel damnatum eſſe, vel abſolutum, reus doceat.

§. VI.

Contra leges divinas delicta commiſſa inquiſitioni locum non faciunt, niſi eorundem humanis quoque legibus repetita ſit prohibitio. Proinde ob diffidentiam in Deum ſecundum Decalogi præceptum primum, vel ſecundum ejusdem nonum & decimum ob rei cupidinem alienæ, ſi in actus exteriores non erumpunt, inquiri in foro humano non poteſt. Idque de cogitationibus etiam ſolis notandum, quarum pœnam ſecundum *L.* 18. *ff. de pœn.* nemo luit. Solent hoc loco excipere crimen læſæ majeſtatis ob *L.* 5. *pr.* ibi: *cogitaverit, C. ad L. Jul. Maj.* Sed hæc verba legis ſic intelligenda ſunt, ut voluntas & cogitatio verbis factisve declaratæ ſint. Quod quoties ſolæ voluntati in jure noſtro, vel cogitationi effectus quidam tribuitur, ſemper intelligi ſolet.

§. VII.

Neque *ſimultates* mutuæ & *inimicitiæ* ſubditorum inter ſe, quando his quies publica non turbatur, inquiſitioni locum dant. Quo pacto hoc caſu Paſtores & Concionatores gerere ſe debeant, docet **das allgemeine Ausſchreiben** *de d.* 28. *Julii* 1693. **wegen** *admitti***rung derer im Proceßlebenden Beicht-Kinder zum heiligen Abendmahl,** *in Suppl.* **der Landes-Ordn.** *p.* 16.

CAPVT

CAPUT VII.

DE OFFICIO IUDICIS IN INVESTIGANDO CORPORE DELICTI.

Veritas delicti investiganda. §. *I.*
Ejus ratio & de delictis non capitalibus. §. *II.*
Corpus delicti varie probatur. §. *III.*
Qualis probatio ad effectum inquirendi sufficiat. §. *IV. V.*
Qualis ad effectum torquendi requiratur. §. *VI.*
De delictis facti transeuntis & permanentis. §. *VII.*
Probatio corporis delicti in homicidio. §. *VIII.*
Inspectio cadaveris. §. *IX.*
An judicis præsentia necessaria. §. *X.*
De usu Scabinorum. §. *XI.*
Commendatur Keyserus. §. *XII.*
Quando in homicidio reus & a quo capi possit. §. *XIII. XIV. XV.*
De examinando ipso vulnerato. §. *XVI.*

§. I.

Ad inquisitionem igitur generalem pertinet, ut Judex *corpus delicti* probe exploret, hoc est, ut, an revera delictum, de quo rumor manat, perpetratum sit, diligenter indaget. Hoc fieri inprimis jubet *DD. Henrici & Wilhelmi junioris* **Unterricht, wie in peinlichen Fällen verfahren werden soll**, §. 1. verba ea sunt: **So sollen sie vorerst fleißig Kundschafft darauff legen, ob auch die That, davon das gemein Geschrey ergehet, und ihnen angebracht, geschehen sey, oder nicht, und so sie befinden, daß die That geschehen ꝛc.** Add. *Ord. Crim. Carol. art.* 6.

§. II.

Cujus indagationis necessitas hinc patet, quia nulla inquisitio, nisi corpus delicti adsit, locum habet, adeo ut reum

 confiteri

confiteri hoc delictum, non sufficiat. Hujusmodi enim confessio erronea habenda est secundum *L.* 1. §. *fin. ff. de quæst.* Plane in *levioribus delictis*, quæ nulla pœna capitalis sequitur, sola rei confessio sufficere existimatur non ad inquirendum tantum, verum & ad condemnandum. *Carpz. Qv.* 108. *n.* 39. 40.

§. III.

Meminisse autem oportebit, aliam corporis delicti *probationem* requiri ad torquendi & condemnandi effectum, aliam ad inquirendi.

§. IV.

Ad effectum enim *inquirendi* plane sufficit *fama*, vel *querela*, vel etiam *denuntiatio* facti, modo a personis fide dignis oriatur fama.

§. V.

Unius quoque hominis denuntiatio sufficit, modo denuntiationem veram esse, hujus non intersit. *Damhouderus cap.* 6. Quin & *indicia* corporis delicti *manifesta* nonnunquam ad inquirendum sufficiunt, veluti si mulier gravida visa, neque postea de partu appareat. *Carpz. Qv.* 108. *n.* 11. 12. 13. *Ord. Carol. art.* 8. **so die Missethat kundlich, oder deßhalb redliche Anzeigung erfunden wird.**

§. VI.

Ad effectum quidem *torquendi* major demonstratio requiritur. Quod si vero de corpore delicti ex indiciis firmis certisque constat, neque inquisitus illud exhibere velit, tunc delicti veritas ab eo per tormenta erui potest. *Carpz. c. l. n.* 21. 22. 23. Unde comprobante Rege & Electore Cancellaria Cellensis quæstionem habendam jussit de muliere, quæ partum se edidisse inque hortum vicini, ubi procul dubio a suibus canibusve devoratus fuit, projecisse confessa, an vivum ediderit & projecerit, fateri recusabat, præsertim cum accederet, quod

gravidam

gravidam antea ſe diſſimulaſſet partumque vivum fuiſſe, ex ſpatio temporis, quo geſtaverat, conjiciendum maxime eſſet, & confeſſionem ipſam editi partus gravis quoque lochiorum fluxus ubertasque lactis in mammillis reperti comprobarent.

§. VII.

In corpore delicti autem inveſtigando obſervanda eſt diſtinctio inter delicta FACTI PERMANENTIS & TRANSEVNTIS. Ad illa pertinet furtum, rapina, homicidium & ſi qua ſunt reliqua; hæc ſunt, veluti magia & delicta carnis, quæ vocant, de quibus notandum quoque, ad probandum corpus delicti, ſi ad pœnam capitalem procedendum, requiri utriusque delinquentis confeſſionem. *Carpz. Qv.* 72. *n.* 52.

§. VIII.

Circa *homicidium* ſpeciatim notandum, non ſufficere ad ſtabiliendum corpus delicti, vulneratum aliquem eſſe & poſtea mortuum, ſed eundem ex accepto vulnere obiiſſe. Quod ex vulneris letalitate perſpicitur. *L.* 30. §. *fin. ff. ad L. Aquil. Ord. Car. Crim. art.* 147.

§. IX.

Sed ut conſtet, an letale vulnus ſit, *cadaveris inſpectio* requiritur. *Ord. Crim. Carol. art.* 149. Hæc facienda eſt ab ipſo judice, adhibito Actuario jurato, qui conficiat ſuper inſpectionis actu protocollum, itemque Medico & Chirurgo jurato. Hi examinare diligenter accurateque vulneris qualitatem literisque conſignare debent. Medicus inprimis cum Chirurgo judicium de letalitate vulneris ſuum, adjectis rationibus ex principiis Medicis & Chirurgicis deſumtis, reddat. Vid. *Conſtitutio Regiminis Cellenſis*, **wie es mit Beſichtigung der todten Cörper zu halten** *de d.* 26. *Febr.* 1685. *Vol.* **der Gerichts-Ordn.** *pag.* 649.

§. X.

Sunt quidem Judices plerumque ſcientia anatomica deſtituti, adeo ut quale vulnus ſit, vix intelligant, potius hoc maxima ex parte pendet a Medicorum peritia. Sed quoniam tam Ordinatio Carolina, quam dicta Conſtitutio provincialis noſtra ipſius nihilominus *Judicis præſentiam* exigunt, hic ſine nullitatis vitio actui ſe inſpectionis ſubtrahere nequit. Proinde minus recte agunt Præfecti, qui ſcribis ſuis vel ſubofficialibus id muneris demandant.

§. XI.

Conſtitutiones jam dictæ in inſpectionis ſectionisque cadaveris actu duorum quoque *Scabinorum præſentiam* exigunt. Qui quidem Scabinorum uſus in terris noſtris exolevit. Sed *Reſcriptum* tamen *generale de d.* 29. *Januar.* 1727. eundem reduxit, usque eo ut Scabinorum deficientium loco a Præfectis noſtris adhibendi ſint ipſorum ſubofficiales (**die geſchwornen Amts Unter-Vögte und Gerichts-Bediente.**) Verba reſcripti generalis hæc ſunt: **Da nun die Schöppen daſelbſt nicht in** *obſervanz* **ſind, und aus derer bey vorzunehmenden** *Section***en erforderten Gegenwart dieſe** *Inconvenienz* **entſtehet, daß die ohne der Schöppen Zuziehung vorgehende Beſichtigung der entleibten Cörper, inſonderheit wenn** *acta ad Extraneos* **verſchicket werden,** *ex capite nullitatis impugni***ret werden, mithin** *propter defectum cognitionis ſuper letalitate vulneris* **die Todtſchlägere der verdienten Todes-Straffe entgehen, ſo haben Wir der Nothdurfft zu ſeyn erachtet, eingangs ermeldtes Ausſchreiben** (de 26. Febr. 1685.) **dahin zu** *declari***ren, daß an ſtatt derer bey denen** *Section***en der todten Cörper, nebſt der Amts-***Regiſtratur* **erforderten beyden Schöppen, die Unter-Amts oder Gerichts-Bediente zugezogen werden ſollen.**

§. XII.

Quemadmodum in ſectione omnia exacte exploranda quali-

qualitasque vulnerum in loco, quo inſpiciuntur, literis conſignanda ſit, hoc vide apud *Keyſerum in Praxi criminali pag.* 102. *&* 109.

§. XIII.

Illud exiſtimandum non eſt, Judicem ad ſpecialiter inquirendum, reumque capiendum prius procedere non poſſe, quam cum de letalitate vulveris, ex inſpectione conſtet. Nam ad id quidem ſufficit, de vulnere cuidam inflicto, quod mors ſequi poſſit, denuntiatum eſſe, ne interea temporis, prolata comprehenſione, fuga reus ſibi conſulat.

§. XIV.

Judicis proinde eſt, ſtatim perſequi reum, quamvis, an letale vulnus ſit, nondum certo conſtet. Neque enim ad menſuram dantur vulnera, mortemque inde ſequi poſſe, ſufficit. Quin & ſubditorum quivis eo caſu apprehendere reum & Judici ad inquiſitionem inſtituendam tradere obligatur. **Küneb. Pol. Ordn.** *c.* 7. §. 1.

§. XV.

Quæ cuique comprehenſio honorem atque exiſtimationem non minuit, & ſi quis apprehendenti hoc convitiandi animo opponat, XX. Thalerorum, vel ſi id in ære non habeat, annalis relegationis reum ſe facit. **Pol. Ordn.** c. l. §. 2. & 3. Quin hoc amplius, qui homicidæ aliive delinquenti evadendi occaſionem ſuppeditat, arbitrarie puniendus eſt, vel mulcta gravi pecuniaria, vel relegatione. **Pol. Ordn.** *c. l.* §. 2.

§. XVI.

Si res admittat, Judex ipſe vulneratum adeat, & de auctore omnibusque facti circumſtantiis examinet. Quamvis enim inſimulatum a moribundo facinoris eſſe, ad condemnandum haud ſufficiat, inquiſitioni tamen locum facit. Hanc rem amplius tractavit *Klein in Diſſ. de in- & exculpatione moribundi.*

CAPVT VIII.

DE OFFICIO IVDICIS CRIMINALIS CIRCA INVESTIGANDVM AVCTOREM DELICTI.

Officium Judicis in auctore delicti investigando. §. I.
Quam caute hic procedendum. §. II.
Diffamatio de crimine. §. III.
Denuntiatio partis offensæ. §. IV.
Cetera indicia. §. V.
Alia cautio Judici observanda. §. VI.
Quid in testibus examinandis cavendum. §. VII. VIII.
Argumentum ex vitæ genere. §. IX.
Arbitrium circa hanc rem Judicis. §. X.

§. I.

JUdicis officium *generaliter inquirentis* non ſolum in ipſius facti cognitione, ſed & in *investigando auctore delicti*, ſive eo, qui deliquit, conſiſtere, ſupra C. VI. §. I. II. dictum eſt.

§. II.

Sed hic cautus Judex procedat, firmaque vel ſaltem probabilia indicia eruat. Aliter enim tota inquiſitio laborat nullitate. Hoc a Judice fieri præcipit *DD. Henrici & Wilhelmi jun.* Unterricht, §. 1. ſo ſollen ſie vernehmen, was der Kläger vor Anzeig oder *indicia* ſeiner Anklage und Bezüchtigung hat, und womit er ſolche Anzeige beweiſen kan, ſo ſollen ꝛc. item §. 3. und ſo ſie wieder einen oder mehr, der begangenen Ubelthaten halber, Vermuthungen haben, die zur Angreiffung gnugſam ꝛc.

§. III.

Huc pertinet, ſi quem *fama* & *communis rumor* auctorem ſuggerit. *Ord. Car. Crim. art.* 6. durch gemeinen Leumuth berüchtiget. Neque tamen, de hoc homine vel illo eam communem

munem famam esse, ad acta consignare Judicem sufficit, sed præterea de ea re examinare summariter ad protocollum oportet testes, qui eam famam se a majori populi parte accepisse, deponant. Tum quæ fuerit origo famæ, & unde emanaverit, diligenter exploret Judex. Neque enim aniles blaterationes sufficiunt. Postremum quoque circumstantias, ex quibus orta fama est, maxime perpendat.

§. IV.

Pertinet huc amplius *denuntiatio partis offensæ*, de qua dictum est supra C. VII. §. V. & dicetur infra C. IX. §. XXXII. item *nominatio socii criminis*, quæ tamen ad inquirendum sola non sufficit, sed alia debent adminicula concurrere. *O. C. Car. art.* 31. Inprimis vero an, qui nominatus est, talis sit persona, in quam facinoris suspicio cadere possit, videndum est.

§. V.

Huc quoque pertinet, si quis *in ipso scelere deprehensus* sit, eumque auctorem criminis arguant testes, quamvis summarie tantum & injurati deposuerint, dum sint existimationis & fidei integræ. Neque minus indicium præbet *capitalis inimicitia* itemque *res furtiva apud aliquem reperta.* Quæ omnia latius tractat *Ord. Car. Crim. art.* 25. & 26. Addendum eodem, hæc indicia viam speciali inquisitioni patefacere, non quidem singula separatim, sed conjuncta. *Ord. Car. Crim. art.* 27. 28.

§. VI.

Sed de hoc, quod & §. IV. jam tractavimus, inprimis dispiciat Judex, an quæ pro auctore delicti nominata est persona, ea sit, in quam suspicio quidem facinoris cadat, **ob es eine solche Person, zu der man sich der That versehen mag.** *Ord. Crim. Car. art.* 25. Quod in hac Ordinatione criminali Imperator sæpius monet.

§. VII.

Si de auctore delicti *testes* Judex *examinat*, caveat, ne iisdem

iisdem nominatim quendam ſuggerat, potius tantum, quis delictum commiſerit, generaliter eos interroget.

§. VIII.

Sed nec, ſi teſtes quendam auctorem nominant, hac nominatione ſola acquieſcat Judex, verum interroget amplius de ſcientiæ cauſa & ratione, unde eum, quem nominaverunt, facinus patraſſe, ſciant, omnesque demum circumſtantias protocollo inſerendas curet. Sed ſi de auditu alieno deponunt, hos quoqe, ex quibus audiverunt, examinet.

§. IX.

Ac ſupra quidem dixi, Judici diligenter perpendendum eſſe, an in eum, qui nominatus eſt, ſuſpicio facinoris cadat. Cujus rei ratio in communi & pervulgata regula conſiſtit, qua qui ſemel malus fuerit, is eſſe ſemper putatur. Sed quamvis ea conjectura plerumque ad idem delicti genus reſtringatur, nonnunquam tamen a conſveto vitæ genere ad aliud delicti genus omnino argumentum ducitur, ſi accedat aliud quoddam adminiculum. Sic in pauperem quendam deditum quotidie luſui & compotationibus, furti crimen, item falſi & ſtellionatus & quæ ſunt ejus generis, ſuſpicio convenit.

§. X.

Generatim hæc quidem materia indiciorum omnis in generali inquiſitione ſubjecta eſt prudenti *judicis arbitrio*, qui collatis inter ſe circumſtantiis omnibus, quousque inde ad ſpecialiter contra certam perſonam inquirendum progrediatur, ſollicite expendat.

CAPVT

CAPVT IX.

DE INQVISITIONE SPECIALI ET SPECIATIM QVIDEM DE CITATIONE.

DE inquisitione speciali contra illustres personas monitum. §. *I.*
Tractationis divisio. §. *II. III.*
Citandi modus varius. §. *IV.*
Citatio præsentium. §. *V.*
Quid hic Judici considerandum. §. *VI.*
Comprehensio ob capitalem pœnam vel corporis afflictivam. §. *VII.*
Monitum de personis illustribus. §. *VIII.*
Quando ceteræ pœnæ comprehensionem concedant. §. *IX.*
Quid pœna dubia efficiat. §. *X.*
Ob quæ indicia suspectus capiendus. §. *XI.*
Homicidii indicia. §. *XII. XIII.*
De indiciis infanticidii. §. *XIV.*
De inspectione ventris monitum. §. *XV.*
Ampliora ejusdem indicia. §. *XVI. XVII.*
Veneficii indicia. §. *XVIII.*
Rapinæ indicia. §. *XIX.*
Indicium auxilii furibus præstiti. §. *XX.*
Incendii indicium. §. *XXI.*
Indicia proditionis. §. *XXII.*
Indicia furti. §. *XXIII.*
Magiæ indicia. §. *XXIV.*
Adulterii indicia. §. *XXV.*
De re in delicti loco inventa. §. *XXVI.*
De sanguinis effluvio ex cadavere occisi. §. *XXVII.*
Quemadmodum hæc indicia ad capiendum sufficiant. §. *XXVIII.*
Cautio Judicis. §. *XXIX.*
De suspecto non comparente vel varie respondente. §. *XXX.*
An suspectus tanquam testis examinandus sit. §. *XXXI.*
Sola partis læsæ denuntiatio ad capiendum non sufficit. §. *XXXII.*
De custodia suspectorum. §. *XXXIII.*
De vinculis & ferramentis, item de carcere acerbiore. §. *XXXIV.*
Quibus remittatur carcer. §. *XXXV.*
Præfectorum officium §. *XXXVI.*
An reos ad Cancellarias remittere possint. §. *XXXVII.*

§. I.

CUm de ipſo facinore, & quisnam probabiliter ejus auctor fuerit, ex inquiſitione generali apparet, ad *ſpecialem* progrediendum eſt. De hac illud quaſi præfando monemus de *illuſtrium perſonarum* crimine commiſſo eſſe quidem Cancellariam noſtrarum cognitionem, ut proinde eas capere, & inquirere in easdem ſpecialiter poſſint. Verum oportet, factum ad Regem ipſum & Electorem referri ſtatim, ejusque ulterius mandatum & præceptum expectari, plane ut contra hanc perſonam, niſi ipſe Rex id præſciret, quod corpus eorum affligat, quidquam decernere Cancellariæ & exequi nequeant. Quod quidem egregie convenit cum Jure Romano in *L.* 16. & 17. *C. de Dignit.* & *L.* 3. *C. Ubi Senator.* Add. *Lynker in Præſcript. publ. præſcript.* 5. §. 12. Sed hoc an ad *nobiles* noſtros, quatenus tales ſunt, proferri poſſit, id ſub dubitationem revocat *Lynker c. l.* §. 8. contra affirmat *Tiraquellus de Nobilitate C.* 20. a Lynkero c. l. refutatus.

§. II.

Inquiſitionis ſpecialis commodiſſime tria genera conſtituuntur, ut conſiſtat in ACTIBVS præparatoriis, MEDIIS & POSTERIORIBVS.

§. III.

Ad *primum genus* ſpectant *primario* quidem *& per ſe* citatio, ſalvus conductus, Bannum atque ad articulos inquiſitionales examen, & *ex accidenti* nonnunquam defenſio pro avertenda inquiſitione. Probatio & Defenſio pro avertenda tortura, ſeu pœna mitiganda, itemque ſententia definitiva ad *alterum* genus pertinent. Ad *tertium,* quod actibus poſterioribus efficitur, remedia ſuſpenſiva, appellatio & ulterior defenſio & poſtremum quoque executio. Adjicimus his quæ accidunt nonnunquam, aggratiationem, reſtitutionem in integrum,

tegrum, & quæ ſunt generis ejusdem, quæ ſigillatim poſtea tractabimus.

§. IV.

Variat *citandi* modus: Nam per inquiſitionem generalem detectus reus vel *præſens* eſt, vel *abſens*.

§. V.

Contra *præſentem* quidem reum obtinet *citatio* vel *verbalis*, vel *realis*, quæ in capiendo conſiſtit. Sed hoc inprimis loco Judex maximopere caveat provideatque, ut neque intempeſtive captum reum gravet, neque emiſſa verbali citatione eidem fuga ſibi conſulendi anſam præbeat. Ducum quidem *Henrici* & *Wilhelmi jun.* **Unterricht** §. 2. Judicibus hoc injungit, **da eine Miſſethat geſchehen und offenbar iſt und kein Anklåger vorhanden, aber gewiß iſt, wer die That gethan hat, ſo ſolle demſelbigen auf friſchem Fuſſe nachgetrachtet ... und Fleiß gethan werden, daß er zu hafften gebracht werden måge.** Sed hæc cum judicio accipienda ſunt, quod jam exponam.

§. VI.

Nempe *duplex cauſa* eſt in propoſito Judici reſpicienda, primum, *quale delictum*, atrox an leve ſit, & quæ illud ſequi poſſit pœna; Tum *indicia*, quibus quis ſuſpectus redditur.

§. VII.

Quæ primo loco notanda regula, hæc eſt, ut *quoties ejus generis ſit delictum, quod ultimo ſupplicio pœnave corporis afflictiva* (quorſum abolita fuſtigatione apud nos pertinet damnatio ad operas publicas atque ad ergaſtulum) *coerceatur, toties comprehendatur & capiatur ſuſpectus. L. 3. ff. de cuſtod. reor.*

§. VIII.

Solet quidem vulgo hæc regula ex *circumſtantiarum* ratione limitari, ſi reus ſit ampliſſima dignitate opibusve maxime præditus, in quo adeſſe minor fugæ ſoleat ſuſpicio. Sed cum pœna eſt capitalis metuenda, fugæ ſuſpicio a ditiſſimo quoque

haud abeſt. Quamobrem tutiorem viam eligit Judex, qui hujus generis reo cuſtodes in ædibus ipſius ponat, hisque illum cuſtodiendum curet, ut ne fuga rebus ſuis hic proſpiciat, eoque modo judicio de ſecuritate caveatur. Qui quidem detinendi cuſtodiendique modus in perſonis honeſtioribus, maxime illuſtribus uſurpari ſolet. Add. *Lynker* in *Præſcr. publ. præſcr.* 10.

§. IX.

Sed *cum delictum vel relegatione tantum, vel carcere, vel pecuniaria pœna coercetur,* tunc *honeſtiores* non quidem capiendos Judex, ſed verbis citandos jubeat. Sin vero reus *humilior* ſit *perſona,* vel *erro,* vel *de fuga ſuſpectus,* tunc procedere ſtatim ad capiendum eum poteſt, ne, cum fugam is arripuit, delicta maneant impunita.

§. X.

Quod ſi dubitationis quidquam res habeat, quæ delictum pœna ſecutura ſit, ut puta, ſi quis graviter vulneratus, an ex iſto vulnere convaliturus fuerit, exploratum non ſit, tunc rei fugam capiendo eo præcavere judex obligatur.

§. XI.

Altero loco pro regula tenendum eſt, *quæcunque ad ſpecialiter inquirendum ſufficiant indicia, ea quoque ſufficere ad capiendum reum,* dum reliqua ſe eodem modo habeant. Sed quæ ſint hæc indicia, Doctores quidem amplius tractant. Sunt autem ſingulis prope delictis propria quædam indicia, quæ a Judice expendenda maxime ſunt.

§. XII.

Et *homicidii* quidem indicium eſt, ſi quis eo tempore veſtimentis armisve ſanguine conſperſis viſus fuerit, ſi hoc fiat ſuſpecta quadam ratione, tum ſi ex rebus quidquam interfecti apud eum reperiatur, vel cum earum quandam donavit alii

cui-

cuiquam, vendiditve, neque titulum, quo acquiſiverit eam, allegare poteſt. *Ord. Crim. Car. art.* 33.

§. XIII.

Homicidii *in rixa* vel *tumultu* commiſſi ſuſpicio convenit in eum, quem adfuiſſe teſtes, cultroque vel enſe aliove quodam inſtrumento defunctum letifero ſtringentem, pungentem aut ſcindentem vidiſſe affirmant, cujusve arma ſanguine rutilantia conſpecta ſunt. *Ord. Car. Crim. art.* 34.

§. XIV.

Parricidii in infantem commiſſi indicia ſunt, ſi puerperii inſimulata vitam impudicam egerit, tum ſi intumeſcente, mox iterum gracili facto corpore, facie pallente & langueſcente viſa ſit, item ſi fœminam peperiſſe, ex adductis circumſtantiis, facta inſpectione ventris judicent obſtetrices peritæ harum rerum. *O. Crim. art.* 35. add. *Ordinatio Eccleſiaſtica D. Erneſti Confeſſoris* de an. 1543. tit. **von Ehebruch und Unzucht §. So auch ein Verdacht, daß ſie ſchwanger wäre, und ſie es nicht bekennig ſeyn wolte, ſo ſoll ſolches Unſern Amt-Leuten angezeiget, und durch ſie verſchaffet werden, daß die Gelegenheit der verdächtigen Perſonen durch erfahrne geſchickte Frauen, wie ſich gebühret, erkundiget werde.**

§. XV.

Sed caveat quoque Judex, ne hujus generis inſpectionem ſine ſuſpicione quadam ſingulari adhibendam jubeat, quod ſe aliter ipſe injuriarum rerum facit. Qua actione Concionatorem pulſatum quendam memini, quod ſine judicis auctoritate, ſine ullis quoque indiciis inani quadam ſuſpicione ductus per obſtetrices virginem in ipſis ædibus ſuis inſpiciendam curaſſet. Sed nec illud ſilentio prætereundum eſt, teſtimonium obſtetricum probationem admittere in contrarium, quæ fit iterata in-

ſpectione ab aliis, præſertim a Medicis peracta. *Richter Vol.* 2. *Conſ.* 65. *n.* 4. *Bohnius in Medic. for. Diſp.* 1. §. 33.

§. XVI.

Pertinet huc quoque *occultatio uteri, & clandeſtinus partus*, itemque *ſepultura clandeſtina*, vel *alia occultatio. Erneſtus* quidem *Dux Confeſſor* in jam dicta *Ordinatione Eccleſiaſtica* an. 1543. concinnata hæc indicia adeo gravia habuit, ut, qvæ id fecerit, tanquam notoriam certiſſimamque infantis parricidam ſupremo ſupplicio adficiendam juſſerit. Verba Ordinationis hæc ſunt: **Welches Weib heimlich ein todt gliedmeßig Kind an die Welt bringet, und zuvor nicht bekannt gewesen, daß sie schwanger sey, dieselbe soll vor überwiesene und bekannte Mörderin ihres Kindes geachtet, und an ihrem Leib und Leben gestraffet werden.** Sed hæc lex vix eſt, ut obtineat, niſi quod eæ circumſtantiæ inquiſitioni, & ſi reliqua ita quoque ſe habeant quæſtioni locum faciant.

§. XVII.

In mamillis repertum lac non præbere indicium, quod ſufficiat ad inquirendum in perſonam vitæ alioquin & famæ integræ, ipſe quidem Imperator in *Ord. Crim. art.* 36. agnovit. Quocum omnes quoque Medici conſentiunt. Pertinet huc quoque lochiorum fluxus, qui itidem, niſi aliæ cauſæ ſuſpicionem augeant, ad inquirendum non ſufficit. *Valentini Pand. Med. Legal. P. I. S. I. Caſ.* 15. & *P. II. S. VII. caſ.* 11. & 13. *Auctor. Oeconomiæ Animalis P. I. Qv.* 118.

§. XVIII.

Veneficii indicia hæc ſunt, ſi quis venenum malum emerit ſecumve habuerit defunctumque odio proſecutus ſit, isque ex ejus morte commodum ſperare poſſet, item ſi quis venenum malum emiſſe coram Magiſtratu de hoc interrogatus perneget. *O. Cr. art.* 37.

§. XIX.

§. XIX.

Rapinæ quoque indicium hoc eſt, ſi res apud aliquem rapta inveniatur, isque poſſeſſionis edere titulum nequeat. *O. Cr. art.* 38. Item ſi errones quidam in cauponis propinquis hærentes laute vivant, nec unde largiores ſumtus ſuſtineant, allegare poſſint. *O. Crim. art.* 39.

§. XX.

Adjutorii furibus & raptoribus facti ſuſpectum ſe reddit, qui rerum furtivarum partem accepit, easve vel etiam fures ipſos & raptores recepit, occultavit, vel operas proxeneticas tulit ſcalas, vel inſtrumenta atque id genus alia ſuppeditans. *Ord. Cr. art.* 40.

§. XXI.

Incendii ſuſpicionem incurrit, qui ante incendium coortum ſuſpecta quadam ratione & occulta circa inſtrumenta verſari pyraſtica deprehenſus eſt. *O. Cr. art.* 41.

§. XXII.

Sed *proditionis* indicium illud eſt, ſi quis dictis hoſtes laceret eorumque metum & timorem ſimulet, at nihilo ſecius clanculum cum ipſis verſetur. *O. Cr. art.* 42.

§. XXIII.

Furti autem indicium eſt detentio & poſſeſſio rei furtivæ, titulo neque allegato, nec probato, nec non inſtrumentorum ad effringendum aptorum, ſi accedat anteacta mala vita. Item ſi quis evaſit locuples ſubito ac dives, neque quo modo eas opes honeſte ſibi acquiſiverit, allegare poteſt. *O. Crim. art.* 43.

§. XXIV.

Indicia quidem *magiæ* recenſentur *Ord. Crim. art.* 44. Sed cum hæc lubrica ſint admodum & fallacia, hodie magna vis iis haud tribuitur, Vid. *Henr. Bodini Diſſ. de Indiciis Magiæ.*

§. XXV.

Adulterii vero aliorumque *delictorum Veneris* ſuſpectum

faciunt

faciunt literæ amatoriæ, mutua oſculatio, quam nec a Clerico quidem benedicendi gratia fieri, conjicitur, & clandeſtina præſertim nocturna conſuetudo. Nudum quoque cum nuda, vel eodem lecto deprehendi huc ſpectat. Neque enim hodie præſumuntur orare pater noſter. Inter perſonas tamen cognatas indicium prohibiti amoris nullum præbet oſculatio, nec ſi mos regionis ex jure quodam urbanitatis id expoſcit.

§. XXVI.

Res ejus, qui facinoris arguitur, *in delicti loco inventa* generale quoddam indicium vario delictorum generi accommodatum præbet. *O. Crim. art.* 29. Sic, ut exempla proponam, in furto, adulterio vel homicidio commiſſo res ejus, qui arguitur criminis, in loco delicti reperta indicium conſtituit. Sed ex *arte divinandi* deſumtum argumentum pro nullo habetur, v. g. **wenn einem der Dieb vom Nachweiſer oder im Cryſtall gezeiget wird.** *O. Cr. art.* 21.

§. XXVII.

Sanguis ex cadavere interfecti effluens accedente quodam cædis ſuſpecto olim pro ſatis idoneo & proximo argumento habitus fuit. Quamobrem inſtitutum apud majores noſtros erat IVDICIVM CRVENTATIONIS, **das Baar-Recht,** quo ſuſpectam ex variis argumentis & circumſtantiis perſonam moris erat adducere ad cadaver, quo cruorem emittente, rea, alio caſu innocens habebatur. Quod plenius tractavit atque comprobavit exemplis *Schottelius de ſingularibus Germaniæ juribus Cap.* 3. *ejusque Continuator Jo. Werner Geriken.* Sed ſi alia deficiant, hoc quidem argumentum nullum ſuppeditat. *Webnerus in Obſ. Pract. voce* **Baar-Recht** ibique *citati.* Nam ipſe Schottelius ex *Levino Lemnio de occultis miraculis naturæ* ſanguinis ex cadaveribus emiſſi exempla profert, ſi amicorum aliquis aut proximorum cognatorum, in quem ſuſpicio ſceleris nulla caderet, præſens adfuerit.

§. XXVIII.

§. XXVIII.

Hæc igitur argumenta omnia quemadmodum ad ſpecialiter inquirendum, ita etiam ſufficiunt ad capiendum reum ceteris paribus, dum veriſimiliter probata ſint. Nam plena quidem demonſtratio ad actum probationis pertinet, cum nimirum quæſtio ex iis argumentis decernenda eſt, quem locum plenius infra perſequemur.

§. XXIX.

Sed optime faciet Judex, ſi temporis ratio id permittat, ut argumenta, quibus ad capiendum reum ducitur, quæque ad eorum probabilem demonſtrationem a teſtibus ipſi & aliunde ſuppeditantur, in Protocollo per Actuarium conſcribenda curet, ne poſtea inique ſe & ſine argumentis ſatis idoneis captum reus conqueratur.

§. XXX.

Si generalia tantum argumenta ſunt, vel leviora, vel ſingula deſtituta aliis adminiculis, per miniſtros judicii citandum curet ſuſpectum, qui ſi non compareat, vel in reſpondendo variet, hac re magis ſe ſuſpectum reddit, atque inde ad capiendum eum *novum* oritur *argumentum.*

§. XXXI.

Sunt qui Judici id cautionis loco commendant, ut ſimulatione quadam ſuſpectum de delicto tanquam teſtem examinet. Nos hanc cautionem merito rejicimus, quia dolum Judicis continet. Quin & ſuſpectum juramento teſtium obſtrictum examinaturus anſam pejerandi dabit, at neglecto juramento nihil quoque confitebitur ſuſpectus, & hanc ob rem cautio iſta nulli uſui eſt.

§. XXXII.

Ad ſolam *partis læſæ delationem*, remotis aliis argumentis probabilibus, carceri tradendus nemo eſt, etiamſi delator ad ſatisdandum ſe offerat. Hinc cauſas, quibus ad denuntiandum

moveatur, Judex ſemper expoſcat, & veriſimilis ſint, an mi-nus, diligenter examinet. Hoc præcipiunt *Duces Henricus & Wilhelmus junior* in dem Unterricht §. 1. ſo ſollen ſie vernehmen, was der Kläger vor Anzeig oder *indicia* ſeiner Anklage und Bezüchtigung hat, und womit er ſolche Anzeige beweiſen kan, da denn dieſelben genugſam befunden werden, ſo ſollen die Gerichts-Befelchhabere nach dem Thäter mit allem Fleiß trachten. ꝛc. ꝛc. Add. *Conſt. Crim. Car. art.* 11.

§. XXXIII.

Sed cuſtodiæ cauſa cum adhiberi ſoleat *carcer*, debet is eſſe locus tolerabilis, ne ipſa pœna durior cuſtodia ſit, vel pœnæ locum antecapiat. *Ord. Crim. Car. cit. art.* 11. Correi delicti diverſo & ſeparato quisque carcere incluſi teneantur ob eam cauſam, quam in fine allegavit articulus XI.

§. XXXIV.

Vincula quidem & *ferramenta* facile non ſunt adhibenda, niſi vel carcer non ſatis munitus, vel reus jam ſit convictus. Sed poteſt durior carcer adhiberi in delictis atrocioribus, vel ſi reus graviſſimis argumentis atque indiciis criminis prope jam convictus fateri illud recuſet. Tunc enim tormentorum quædam ſpecies habetur.

§. XXXV.

Gravi *corporis infirmitate laborantibus* carcer remitti ſolet, & tunc per excubitores cuſtodiendi, vel pro re nata, ſi non atrox ſit delictum, fidejuſſoribus, qui de judicio ſiſti ſatisdederunt, committendi ſunt.

§. XXXVI.

Illud monendum ſupereſt, *Præfectos* in terris noſtris Electoralibus ſingulis menſibus præterfluxis, qui delinquentium numerus apud eos, nec non quamdiu & ex qua cauſa carcere detineatur, ad Cancellarias literis referre debent. Vid. *Reſcriptum generale Cancellariæ Cellenſis de d.* 17. *Sept.* 1717. *in Contin. Suppl.*

Suppl. der Landes-Ordn. *pag.* 233. Tum ex *Cancellariis* ad *Consilium regiminis* ſingulis menſibus deſignatio omnium totius provinciæ captivorum delinquentium mittitur.

§. XXXVII.

Nec item Præfectis noſtris delinquentes ad Cancellarias transmittere licet, niſi ad eas prius de illa re retulerunt, & transmiſſio delinquentis a Cancellaria comprobata eſt, literasque de transportando reo Camera Regio-Electoralis, quas vulgo einen Fuhr-Zettul appellant, dedit, ſecundum *Reſcriptum Camerale de* 2. *Dec.* 1710. in *Contin. Suppl.* der Landes-Ordnungen *pag.* 234.

CAPVT X.

DE CITATIONE DELINQVENTIS ABSENTIS ET FVGITIVI.

Vocis latitare varia ſignificatio. §. *I.*

Modus procedendi per literas arreſtatorias. §. *II.*

Literarum arreſtatoriarum forma. §. *III.*

Quis iis contineatur. §. *IV.*

Quemadmodum extraditio fiat. §. *V.*

Quid Magiſtratui remittenti reſtituendum. §. *VI.*

De transportando reo per territorium alienum. §. *VII.*

Alia forma literarum arreſtatoriarum. §. *VIII.*

Monitum. §. *IX.*

An, quod delinquens ante fugam civitati alienæ renuntiaverit, deneganda remiſſio. §. *X.*

An ſi delinquens judicem requirentem ſuſpectum dicat. §. *XI.*

Ratio connexionis. §. *XII.*

§. I.

L*Atitandi* vox apud juris Romani ſcriptores varia nec eadem ſignificatione accipitur. *Primum* in *L.* 36. *ff. de reb. auct. jud. poſſ.* latitare dicitur is, qui circa columnas creditoris

evitandi causa se occultaverat. *Deinde* qui recesserat, vel ne actio secum moveretur, se subduxerat, secundum *c. L.* 36. *Item* qui declinandæ tutelæ causa se subtraxerant, *L.* 2. §. 41. *ff. ad SCt. Tertull. Præterea* vero, ut fraudationis causa fieret, requirebatur secundum *L.* 7. §. 1. *ff. quib. ex caus. in poss.* unde minor, qui idoneus sui defensor non est, latitare non videbatur, *L.* 5. *ff. de reb. auct. jud. poss.* neque is, qui præsens judicium suscipere non cogebatur, *L.* 3. *ff. de jud.* Sed hoc nihil intererat, fieretne ante, an post litem contestatam *L.* 42. §. 7. *ff. de Procur. Pœna* vero latitantium fuit missio in eorum bona ex Edicto Prætoris. *L.* 2. *Quib. ex caus. in possess. Postremum* hæc vox in criminalibus quoque causis usurpatur, quod patet ex *L.* 2. *C. de his qui latron.* ubi latrones vel aliis criminibus obnoxii in possessione latitare, seu occultare sese dicuntur. Sed ex Edicto quoque Prætoris infamiam incurrebant, qui in causis criminalibus latitabant. *L.* 3. *C. de requir. reis.*

§. II.

Hodie contra inquisitum fugitivum, absentem & latitantem procedi solet per *literas arrestatorias*, quas vocant, Germanice Steck-Brieffe. De his *Henricus & Wilhelmus junior Duces* ita præcipiunt in dem Unterricht §. 2. Da er aber in der Nachjagt nicht ergriffen, sondern hernachmahls erfahren würde, daß er sich in andern Gerichten und Gebieten enthielte, so sollen Unsere Ampte und Gerichts-Befelchhaber in unserm Fürstenthum an die Obrigkeit des Orts, da sich der Thäter enthaltet, schreiben, und neben Vermeldung seiner Mißhandelung dieselbige Obrigkeit ersuchen, den Thäter gefenklich einzuziehen, und Rechts wieder ihn zu gestatten, und sollen die Ampten und Gerichts-Verwalter uff dem Fall, so kein Ankläger do ist, *ex officio* ihnen mit Recht zu verfolgen schuldig seyn. Und da ihnen Rechts geweigert, oder dasselbig verzogen würde,

de, uns jederzeit die Fälle, und was sie darinn gethan, berichten, domit wir die Sachen weiter zu befordern haben.

§. III.

Sunt autem hæ *literæ arrestatoriæ* Magiſtratus ad alium Magiſtratum literæ datæ, quibus rogatur hic, vel potius in ſubſidium juris requiritur, ut fugitivum delinquentem & latitantem, ſi forte in ejus terra, vel ſub jurisdictione ejus deprehendatur, carceri mancipet remittatque ad Magiſtratum requirentem. Additur promiſſio, ſeu quas reverſales vocant, quibus mutuæ viciſſitudinis uſum recipit Magiſtratus, qui requirit, **daß er es in dergleichen sich begebenden Fällen hinwiederum also halten wolle.**

§. IV.

His literis deſcribi ſolet ſtatura & omnis habitus cultusque corporis ejus, qui quæritur, quæ facies ei ſit, quæ coma, quibus veſtibus utatur, & ſi qua alia ſigna in eo ſint notata, ut eo melius ab altero Magiſtratu citiusque explorari poſſit.

§. V.

Si deprehenſum delinquentem ad requirentem Judicem remittere non recuſat Magiſtratus requiſitus, fieri *traditio* ſolet in confinio, **an unstreitiger Grentze,** datis literis itidem reverſalibus, quas vocant, quibus remiſſionem delinquentis hanc alterius Magiſtratus jurisdictioni nihil obfuturam, declarat requirens Judex mutuæque viciſſitudinis uſum recipit.

§. VI.

Præterea Magiſtratui quoque remittenti expenſæ ſumtusque in deprehenſionem rei & detentionem erogati reſtituendi ſunt, ne aliter urbanitas ipſi ſua noxia ſit.

§. VII.

Nec per alienam terram ſine venia impetrata delinquentem duci fas eſt, ſed hoc loci Magiſtratui antea indicandum, isque per *literas mutui compaſſus*, quas vocant, ut duci libere

 captivum

captivum per terram suam concedat requirendus. Quæ quidem literæ, pluribus Magistratibus requirendis in forma patente conficiuntur. **Es wird denen zu Abholung des Gefangenen abgeschickten Bedienten ein offener Paß an alle Obrigkeiten der Oerter, so sie zu *passi*ren nöthig haben, mitgegeben.**

§. VIII.

In eadem forma quoque patente literæ nonnunquam arrestatoriæ sic dictæ conficiuntur, adjectis precibus, ut finitimi Magistratus eas ad alios sibi finitimos & eodem modo amplius cito transmittant.

§. IX.

Duces quidem Henricus & Wilhelmus junior præcipiunt **in ihrem Unterricht** §. 2. ut fugitivos Præfecti & Judices etiam in *aliena terra* persequantur. Verba hæc sunt: **sondern auch aus Unserm Fürstenthum in andere Lande und Gebiete, vermöge des heiligen Reichs- und Kreiß-Ordnung gefolget und Fleiß gethan werden; daß er zu hafften gebracht werden möge.** Sed non sunt hæc verba sic accipienda, ac si fugitivum in aliena terra capere Judices Præfectique & hinc secum abducere possint, sed potius ita, ut fugientes in alienas terras prosequi, at propria auctoritate captos secum abducere non liceat. Potius per Judicem loci capiendus fugitivus & alteri tradendus est. Add. *Ordin. Polit. Cap.* 49. §. 16. verbis: **Und wenn sie die Thäter in fremden Gerichten antreffen, und annehmen, in dasselbige Amt oder Gericht, darinn der Angriff geschehen, überantworten und Ansuchung thun, daß sie Uns zu Recht gehalten werden.**

§. X.

Existit autem hoc loco quæstio, an, quod *reus ante fugam susceptam juri se civitatis alterius renuntiasse dicat*, traditionem ejus defugere possit Judex, qui requisitus ab altero Judice fugientem

gientem detinuit. Et magis eſt, ut non poſſit, quia etiamſi civis non fuerit, tamen eo, quod delinquat, jurisdictioni ejus civitatis ſe ipſum ſubjicit, ubi deliquit. Tum emigratio, quamvis ſit libertatis naturalis, intempeſtive tamen & eo facta, ut pœna devitetur promerita, neutiquam conceſſa eſt, præſertim cum in loco delicti cœpta jam inquiſitio, & citatione ſua Judex, qui requiſivit alterum, præventionem nactus eſt.

§. XI.

Sed quid ſi delinquens *ſuſpectum* & ſibi *inimicum judicem requirentem* dicat? Nec hac quidem exceptione traditionem declinari poſſe, exiſtimarem. Aliter enim quivis delinquens Judicem ſuſpectum poſtulare atque ſic omni ſe inquiſitioni eximere poterat. Quod ſi inimicitia & odium requirentis Judicis veriſimilis ſit, requiſitus quidem non inique faciet, ſi apud ſuperiorem Judicem exceptionem inimicitiæ contra requirentem proponendi ſpatium captivo concedat, differatque traditionem, donec ſuper exceptione illa cognoverit ſuperior. Ipſe de ſuſpicionis cauſa cognoſcere nequit, cum in parem pari non ſit imperium.

§. XII.

Sic nec per literas arreſtatorias copia fugitivi haberi poteſt, tunc reus ipſe, vel pro illo cognati ejus aut *ſalvum*, quem vocant, *conductum* flagitant, aut is in *contumacia* perſiſtit. Succedit hinc conſiderandus ſalvus conductus, & proceſſus contra abſentes contumaces.

CAPVT XI.

DE SALVO CONDVCTV.

Salvi conductus definitio. §. I. *Ratio ejus. §. II.* *Ejusdem ſpecies. §. III.* *Salvus conductus generalis. §. IV.*

Quate-

Quatenus prosit. §. *V.*
Salvus Conductus specialis. §. *VI.*
Quis salvum conductum concedat. §. *VII.*
Quando detur. §. *VIII.*
An confesso & convicto & in manifesto crimine dandus. §. *IX.*
An ei detur, qui ex carcere profugit. §. *X.*
De reo captivo. §. *XI.*
Quando securitas reo promissa non prosit. §. *XII.*
Cautio quæ hic requiratur §. *XIII.*
Quibus modis præstetur. §. *XIV.*
De satisdatione per fidejussores. §. *XV. XVI.*
Cautio per pignora. §. *XVII.*
Cautio juratoria. §. *XVIII.*
Quando fidejussor liberetur. §. *XIX.*
Quando expiret salvus conductus. §. *XX.*

§. I.

EST vero SALVVS CONDVCTVS promissa reo a Judice securitas contra vim æque justam atque injustam, ut processus inquisitorius contra reum rite formari ejusque vel dolus malus vel innocentia plenius illustrari possit.

§. II.

Cujus quidem *ratio* rei in hoc consistit, quod reo præsente accuratior delicti cognitio haberi queat, & ne forte innocens metu carceris reus causam suam indictam relinquat & non defensam.

§. III.

Salvus conductus sic dividitur, ut vel *generalis* sit, vel *specialis*.

§. IV.

Generalis sine cautione conceditur atque id efficit, ut reus ad Judicem accedere, itemque recedere ab eodem secure possit. Atque hic ultra diem juridicum, quo ad judicium citatus est, non prorogatur, **daß er zu einem jeglichen Gerichts-**

Tag

Tag sicher zu- und abreisen möge. Diutius in loco judicii commorandi facultatem non tribuit. *Carpz. Qv.* 112. *n.* 10. 11.

§. V.

Quod si igitur extra diem juridicum, ad quem citatus est, ibidem hæreat, vel in hujus judicis terra reperiatur, carceri mandari potest, atque ex eo postea respondere cogitur. *Zanger. de Except. P.* 2. *c.* 5. *n.* 24. Plerumque tamen tres ei dies indulti existimantur, unus ad veniendum, ad respondendum alter, tertiusque ad redeundum.

§. VI.

Salvus conductus *specialis* præstita cautione datur ad hoc, ut reus toto processus tempore in loco judicii commorari possit. In cujus rei fidem ipsi dari solent *literæ salvi conductus*, ein sicher Geleits-Brieff, cujus formula est in *Keyseri Praxi Criminali P.* 2. §. 70. *pag.* 181. *seq.*

§. VII.

Concedit salvum conductum Judex, qui merum imperium habet. *Farinac. Pr. Crim. L.* 1. *Tit.* 4. *qv.* 29. *no.* 103. *sq.* Præfecti & Officiales in nostris terris, die Beamte, salvum conductum nequeunt concedere, sed is a Cancellariis impetrandus est. Nobiles vero & Civitates patrimoniali Jurisdictione gaudentes concedere eum posse, nullus quidem dubito.

§. VIII.

Datur in *omnibus criminibus*, etiam atrocioribus, quando per literas arrestatorias copia inquisiti haberi nequit. Quæ sit hac de re Cancellariæ Hannoveranæ sententia, patet ex literis ejus, quæ hic subjiciuntur: Nun ist es zwar an dem, daß wegen der bey jedem *Casu* gemeiniglich *concurrir*enden *special*en Umstände viel auf des Richters *arbitrium* und dessen Ermäßigung ankömmt; es ist jedoch bey hiesiger Cantzley in dergleichen sich zugetragenen Fällen bishero dergestallt gehalten wor-

 den,

den, daß sothaner gesuchter sicherer Geleit nach vorgängiger Untersuchung der That, auch wol geschehener eydlicher Abhörung der darum Wissenschafft habenden Zeugen dem *Delinquenten*, falls bey solcher Untersuchung befindet, daß die To„des-Straffe oder *fustigation* ihm zu zuerkennen sey, gäntzlich ver„saget worden, im Fall aber bey gemeldter Untersuchung sich „in etwas ergiebet, daß ihn möglichst von der Todes-Straffe oder *fustigation* befreyen könne,„ demselben sodann wol der *salvus conductus* zu recht wieder unbillige Gewalt ertheilet worden. Hannover den 29. *Junii* 1715. Hinc a prudenti judicis arbitrio pendere, liquet, utrum in hujus generis delictis salvus conductus concedendus sit, an minus.

§. IX.

Illud videndum est, an in *notoriis* criminibus & *manifestis*, vel si reus *confessus* crimen aut *convictus* ejus est, salvus dandus sit conductus. Multis hoc non placuit ob *L.* 3. *&* 5. *ff. de Custod. & exhib. reor. Glossa* in §. *neque autem in homicidiis Auth. de mand. Princip.* verbis: *neque custod. Glossa ad Jus prov. Sax. L. I. Art.* 9. §. Gehet ihm aber die Klage *Carpz. cit. Qv. n.* 30. 31. Sed præferenda contraria sententia, pro qua facit summa æquitas, quoniam nec confesso convictoque defensio sua deneganda. *Carpz. c. l. n.* 32. *sq.*

§. X.

Non absimilis illa quæstio, an, qui *ex carcere vel custodia profugit*, salvo conductu indignus sit ducendus. Id affirmat *L.* 25. §. 1. *ff. de SCto Syll. & Claud.* ibique *Glossa ad verba: e vinculis. Brunn. ad* cit. *L.* 25. *n.* 5. Contrarium placuit *Carpzovio Qv.* 112. *n.* 36. Quam sententiam supremum quoque appellationum in terris Electoralibus Tribunal probavit in causa inquisitionis contra den Materialien-Schreiber O. Add. *Dn. Jo. Henr. de Berger P.* 2. *Suppl. ad Electa Proc. Crim. Obs.* 179.

§. XI.

§. XI.

In custodiam dato reo salvum conductum non dari, dubio plane caret. Nam datur modo absentibus, quorum Judex copiam alia ratione habere non potuit. Sed si levius sit delictum, vel infirmitate laboret reus, vel etiam Judex gravibus causis, quæ jam ex actis apparuere, permotus reum insontem, culpaque vacaturum credat, tunc præstita cautione dimittitur.

§. XII.

Plane si *denuo delinquat*, non prodest reo securitas promissa. Hinc salvi conductus literis inseri solent verba: **jedoch daß er sich auch geleitsmäßig verhalte.**

§. XIII.

Ad salvum conductum impetrandum requiritur *præstatio cautionis de judicio sisti*, quæ de judicatum solvi non præstatur nisi in delictis, quæ pecuniaria pœna coercentur.

§. XIV.

Cautio hæc non solum *fidejussoribus* & *pignoribus* præstatur, sed interdum quoque *juratoria* admittitur.

§. XV.

Fidejussores se reum, quoties opus fuerit in judicio sistere velle, cavent. Quod si igitur non sistant, aut pro arbitrio Judicis mulcta ipsis pecuniaria imponitur, aut summa pecuniæ in cautione determinata ab iis exigitur.

§. XVI.

Satisdationis vero *summam* Judex considerata & delicti qualitate & personæ delinquentis conditione determinat.

§. XVII.

Pignora ipse quidem reus pro quantitate summæ determinatæ dat, hoc, ut se ipsum judicio sistere velit. Quæ postea summa, si non sistat se reus, ex pignoribus exigitur.

§. XVIII.

Juratoria cautio in delictis levioribus admittitur. Sed in atrocioribus quoque plane quidem non prohibetur, ne defensione reo præscissa, insons postea repertus ob paupertatem in carcere marcescat.

§. XIX.

Qui semel judicio reum obtulit fidejussor, hoc postea ex carcere profugiente, non tenetur.

§. XX.

Salvus quidem conductus tam diu *permanet*, donec vel quæstio, vel pœna corporis afflictiva decernatur, **bis etwas peinliches erkannt wird.** Qua sententia secuta, salvus conductus exstinguitur, cautio relaxatur, carcerique reus traditur, neque publicatio sententiæ, vel decendii effluxio expectanda est.

CAPVT XII.

DE PROCESSV CONTRA CONTVMACES ABSENTES.

Procedendi contra absentes & fugitivos Romanorum modus. §. *I.*
De banno. §. *II.*
Ejus notio. §. *III.*
Cautio in eo adhibenda. §. *IV.*
Ejus genera. §. *V.*
Forma per bannum procedendi modi. §. *VI.*
Banni simplicis effectus. §. *VII.*
De banno superiori. §. *VIII.*
Ejus effectus. §. *IX.*
De banniti cæde. §. *X.*
De banno speciali. §. *XI.*
De banno Imperii. §. *XII.*
Quando hoc obtineat. §. *XIII.*
Usus banni hodiernus. §. *XIV.*
Ejus effectus. §. *XV.*
Contra contumaces absentes delinquentes apud nos procedendi modus. §. *XVI.*
Quid in Ducatu Guelpherbytano receptum. §. *XVII.*

§. I.

§. I.

COntra *abſentes* reos & *fugitivos* variat procedendi modus. Jure quidem *Romano* multum intereat inter capitales pœnas & non capitales. Poterat enim in abſentes ad pecuniarias pœnas, vel quæ ad exiſtimationem minuendam pertinerent, ſi admoniti ſæpius contumaciter defuerint, usque ad relegationem procedi, ſed ſi gravius quid irrogandum eſſet, veluti damnatio ad metallum, vel pœna capitis, ea in abſentes plane decerni non poterat. *L.* 5. *ff. de pœn.*

§. II.

Hodie in nonnullis locis & regionibus proceditur contra delinquentes contumaciter abſentes ad *bannum*, quod receptum eſt in Saxonia, Marchia Brandenburgica terrisque Herbipolitanis & Tirolienſibus. Vid. *Dn. Kreſſius Comm. ad Ord. Carol. art.* 156. §. 2.

§. III.

Banni vox minus Latina vulgo Italica, ſed *Gundlingio* Germanicæ originis exiſtimatur, de quo legatur Diſſertatio ejus *de feudis vexilli* §. 16. Derivari ſolet a banno ſive vexillo, quod terram ejusque regimen denotabat, adeo ut bannire perinde ſit, ac finibus imperii aliquem ejicere. Hinc bannum definitur, eſſe procedendi contra delinquentes abſentes modus, introductus ad hoc, ut contumax habeatur pro proſcripto & finibus imperii ejecto.

§. IV.

Ad quod procedi ut poſſit, requiritur, ut generalis inquiſitio præceſſerit, ex qua tam de corpore delicti, quam probabiliter quoque de perſona delinquente conſtet per indicia graviora, quæ rei fuga aggraveſcunt. Præterea delictum quoque tale ſit, oportet, quod ſummo ſupplicio coerceatur.

§. V.

Bannum eſt vel *primum*, ſeu *ſimplex*, die Acht, *Jus Prov.*

Sax. L. 3. *Art.* 17. vel *ſecundum* & *ſuperius*, **die Ober-Acht**, quod uſurpatur, ſi ex primo banno intra annum non compareat bannitus, neque innocentiam ſuam purget.

§. VI.

Forma hujus procedendi modi hæc eſt. *Primum* quidem conſtituitur ſolenne quoddam judicium (**es wird ein peinlich Hals-Gericht geheget, oder geſpannet**) *Deinde* libellus accuſatorius offertur, ob quam cauſam deficiente accuſatore alio, fiſcalis conſtituitur. *Tum* fugitivus reus peremtorie, & publice, ac, ſi certum ei domicilium non ſit, in trium dominorum diverſorum terris, literis publice affixis citatur. *Poſt* quem diem præfinitum ei effluxum, abſentis contumacia accuſatur & *tandem* condemnatoria publicatur ſententia, qua abſens damnatur primum usque ad legitima impedimenta, **biß auf Ehehafften**, *poſtremum* vero bannum ſimplex & primum promulgatur.

§. VII.

Cujus banni ſimplicis *effectus* is eſt, ut, ni compareat fugitivus, habeatur confeſſus & convictus ejusque bona annotentur.

§. VIII.

Quod ſi poſt publicatum ſimplex bannum intra annum non compareat reus, neque innocentiam ſuam purget, proceditur ad *bannum ſuperius*. Ac tum itidem oblato ab accuſatore libello reus coram judicio ſolenni, quod quibusdam locis ſub dio habetur, publice denuo & peremtorie citatur. Si nec tum compareat, contumaciæ ejus ſumma perſeverantia accuſatur, tandemque ſententia publice recitata bannum ſuperius in eum promulgatur.

§. IX.

Effectus quidem ſuperioris banni hi ſunt, ut confeſſus & convictus habeatur reus, tum, ut infamis fiat bonaque ejus con-

confiſcentur. Quam materiam fuſius tractavit *Carpzovius in Pr. Crim. Qv.* 140. Add. *Keyſer* **vom Achts-Proceß** *per tot.*

§. X.

Addendum eodem adhuc eſt, non poſſe *bannitum occidi* impune. Sed ſi quis occidit, pœna homicidii ordinaria non tenetur. *Carpz. c. l. n.* 131. *ſeq.*

§. XI.

Speciale bannum dicitur hoc, quod a Statibus Imperii irrogatur, & id quidem ultra terras & imperium bannientis Principis non extenditur.

§. XII.

Aliud igitur eſt & ab eo differt *bannum Imperii*, quod *univerſale* quoque dicitur, **die Reichs-Acht.** Et hoc ſolus Imperator & praeterea Camera Imperialis promulgare poſſunt. Quam eorum prærogativam agnoſcunt quoque Ordinationes Judiciorum noſtræ, inprimis *Ordinatio Curiæ provinc. Calenb. tit.* 63. §. *ult.* item *Ordinatio Cur. Provinc. Guelferbyt. tit.* 66. §. **Es soll auch in solchem Falle ꝛc. ꝛc.**

§. XIII.

Bannum univerſale hoc, ſeu Imperii contra *pacis publicæ violatores* obtinet. *Gail. de Pace publ. per tot. Ord. Camer. P.* 2. *tit.* 9. *Olim* quoque in Camera Imperiali contra *contumaces in cauſis civilibus* adhibitum fuit, *Ord. Cam. P.* 3. *tit.* 43. §. 1. 2. 3. item *tit.* 48. §. 5. *ſeq.* eadem ratione atque in terris Brunſuicenſibus & Calenbergico-Luneburgenſibus. *Ord. Cur. Prov. Calenb. & Guelferbyt.* ſupra citatis locis. Add. *Ord. Cur. Prov. Duc. Julii de an.* 1571. *tit.* 63. §. **Es soll auch in solchem Fall,** item *Ordinatio Cur. Prov. Henrici jun. Ducis de an.* 1559. *tit.* 62. §. **Es soll auch in solchem Fall.** Sed an in Ducatu quoque Cellenſi Luneburgico receptum fuerit, de eo quidem propterea dubito, quod *Ordinatio Curiæ provincialis D.D. Henrici & Wilhelmi junioris* de an. 1564. *tit.* **vom Ungehor-**

ſam

ſam ceteris contra contumaces procedendi modis recenſitis prope omnibus, hujus per bannum ne verbulo quidem mentionem injecit.

§. XIV.

Sed in cauſis criminalibus circa decernendum bannum univerſale *Imperatoris poteſtas* admodum eſt limitata per *Capitul. Imp. Caroli VI. art.* 20. In cauſis vero civilibus ad bannum proceſſus in *Camera* plane abrogatus eſt per *Rec. Imp. de an.* 1654. §. 6. Eodem modo in terris quoque tam Calenbergicis, quam Guelferbytanis proceſſus hic ad bannum in civilibus cauſis non amplius in uſu, ſed diutiſſime abolitus eſt.

§. XV.

Qui ſit *effectus* banni hujus univerſalis, eam rem latius expoſuit *Carpzovius Qv.* 140. *n.* 26. *ſeq.* item *Gailius de Pace publ.* In civilibus quidem cauſis maximus ejus effectus is fuit, ut in banniti bona immitteretur actor. *O. Cam. c. tit.* 43. §. 3. Sed poſtea comparens contumax, & judicium ſubire paratus, banno rurſus abſolvebatur omniaque ei bona, ſed ſine fructibus ab actore interea perceptis, reſtituebantur. *O. C. P.* 3. *tit.* 46. §. 2.

§. XVI.

Sed nec in *criminalibus cauſis bannum* illud *ſpeciale*, de quo ſupra §. V. usque ad §. IX. tractatum eſt, apud nos in terris Electoralibus uſurpatur. Potius ſi fugitivi rei copia per literas arreſtatorias non fiat, ulterior inquiſitio ſuſpenditur, neque in contumaciam contra abſentem proceditur, quemadmodum quoque, remoto crimine læſæ majeſtatis, confiſcatio apud nos bonorum locum non habet. Sed quæ tamen ad corpus delicti aliave indicia, quæ fugitivum onerant, probanda pertinent, ea non negliguntur, ne interea pereant & evaneſcant, utque fugitivus tandem forte deprehenſus ex probationibus factis convinci poſtea poſſit. In civitate tamen Luneburgenſi receptus Jure Saxonico ad bannum proceſſus retentus adhuc eſt. Quod patet ex *Jure* hujus civitatis *Statutario P.* 8. *tit.* 8. §. 3. verbis

quidem

quidem: Kommt aber der Thäter davon, und wird nicht ergriffen, wieder den soll an Unserm Nieder-Gerichte auf die Mordthat verfahren werden, wie solches der Proceß Sächsischer Rechte vermag und mit sich bringet. Mos quoque olim in Præfectura Winsensensi ad Alleram obtinuit, ut acquisita homicidæ fugitivi & in fuga demortui bona non patri, ut legitimo heredi, sed viduæ & promixis cognatis occisi adjudicarentur, uti patet ex Protocollo die Bonifacii A. 1570. conscripto, quod vulgo das Wietzen-Mühlen-Recht a loco, ubi judicium illud habitum est, cognominare solent, verbis: Von Todtschlägen. Wenn einer einen todt schläget, der davon stirbet, und der Thäter hat noch einen Vater im Leben, ist erkannt: Daß der Vater sich nicht zu erfreuen hat seines Sohns wolgewonnen Guth, und der Sohn ist weggelauffen, und darnach gestorben, ist erfunden des Thäters sein wolgewonnen Gut, das er nachgelassen hat, des erschlagenen Wit-Frauen oder Freundschafft, daß die es haben sollen, das nechste Bluts-Verwandten seyn. Was nun aber belanget, das der Vater dem Sohn hat abgelobet, und der Sohn das noch nicht hat empfangen, und dasselbe mit verlauffen Gut noch bey dem Vater ist, und dieweil nun der Vater auch noch im Leben ist, daß sothanes Gut das dem Sohne abgelobet ist, das soll bey dem Vater bleiben. Sed hodie id non amplius servatur.

§. XVII.

In Ducatu *Guelferbytano* delinquentem publice fugitivum citari solere sub pœna confessi & convicti eundemque declarari tandem, sic vero, ut postea captus nihilo secius defensio ipsi & innocentiæ probatio indulgeatur, tradit *Dn. Kressius in Commentario ad art.* 155. *Ord. Car. Crim.*

CAPUT XIII.

DE DEFENSIONE PRO AVERTENDA INQUISITIONE.

Connexio. §. *I.*
Quo tempore haec defensio facienda. §. *II.*
Cui competat & ad quid. §. *III.*
Quid ea deducendum. §. *IV.*
Quid in ea cavendum. §. *V.*
Quas exceptiones admittat. §. *VI.*
Exceptiones judicium respicientes. §. *VII.*
Exceptiones circa personam inculpati & denuntiantis. §. *VIII.*
Exceptiones circa causam ipsam. §. *IX.*
De exceptione litis finitae. §. *X.*
De actorum communicatione. §. *XI.*

§. I.

IN actibus Processus inquisitorii praeparatoriis recensita superiori loco est *defensio pro avertenda inquisitione,* quem nunc locum amplius paulo persecuturus sum.

§. II.

Cujus quidem *ordinis* & methodi *ratio* haec est, quod defensio pro avertenda inquisitione instar exceptionis dilatoriae sit, & respiciat judicium, sive processum inquisitionis adhuc instituendum. Unde & ante quam ad articulos responsum sit (hoc enim litis contestatae instar habetur,) & petenda est & peragenda. Quin non ante Responsionem modo ad articulos, sed ante summariam quoque responsionem petenda est. Reus enim delictum in examine summario jam confessus, defensione pro avertenda inquisitione amplius nequaquam auditur, sed specialiter respondere ad articulos inquisitionales, litemque contestari debet.

§. III.

§. III.

Competit hæc defensio *iis*, qui levioribus in generali inquisitione conjecturis gravati sunt, ad hoc, ut inquisitione instituenda liberentur.

§. IV.

Dirigenda igitur ea defensio est *contra indicia ex generali inquisitione orta*, eaque vel corporis quidam delicti defectus demonstratur, vel indicia non esse tanta, ut institui possit inquisitio contra eum, qui arguitur facinoris, vel etiam non esse delictum id, de quo inquisitio locum possit habere, inprimis contra honestam personam probatur.

§. V.

Merita vero ipsius *causæ* hac defensione propositurus, vel pœna se liberaturus reus non auditur, prius quam ad articulos inquisitionales responderit. *Carpz.* in *Inquisitions*= und Acts= Proceß *tit.* 8. *Art.* 2. §. 1. *p. m.* 116. & 117. Huc pertinet exceptio deficientis doli, ut puta si quis in furto contrectationem factam confessus, animum lucri faciendi habuisse, id vero perneget; item si quis raptam virginem fassus, libidinis causa fecisse neget, vel qui fassus homicidium, non dolo malo, sed culpa vel ad semet defendendum ipsum dicat factum. Hujus quidem generis exceptionibus, quæ quasi peremtoriæ sunt, non auditur, nisi facta prius ad articulos responsione.

§. VI.

Sed *exceptionum*, quæ in defensione pro avertenda inquisitione admittuntur, æque ac dilatoriarum in causis civilibus *quatuor* sunt *genera*. Aut enim respiciunt *judicium*, aut *personam suspectam*, aut *denuntiantem*, aut denique ipsam *causam*. Sed quemadmodum in civilibus causis quædam exceptiones sunt, quæ litis ingressum plane impediunt, & dicuntur *litis finitæ*, eodem modo hæ quoque in causis criminalibus pro avertenda inquisitione allegari & probari possunt. Quæ quidem

dem ordine perſequemur omnia, ut, quid in defenſione pro avertenda inquiſitione reſpiciendum ſit, ne incaſſum ſuſcipiatur, neve judicium ſine juſta quadam cauſa protrahatur, Advocati cauſarum cognoſcant.

§. VII.

Dilatoriarum eſt exceptionum prima *incompetentis Judicis*. Et hæc utiliter quoque applicari ad criminales cauſas & pro avertenda inquiſitione allegari poteſt primum quidem contra Judicem, qui jurisdictione inferiori modo & civili, non criminali gaudet, de qua diſtinctione egi ſupra *Cap. IV. §. IV. ſeqv.* Examinandum igitur Advocato eſt, utrum grave ſit delictum, an leve, quod ad cognitionem vel criminalis Judicis, vel civilis ſpectet. Tum exceptio hæc a Clerico opponi Judici laico poteſt, ſi hic ſuper delicto, quod officium Clerici reſpicit, vel doctrinam, vel etiam vitæ rationem & mores cognoſcere & adverſus eum inquirere velit, quia his caſibus non ad ſecularem Judicem, ſed ad Eccleſiaſticum cognitio pertinet, de quo videatur cit. *Cap. IV. §. XIX.* Hæc quoque exceptio militi datur, ſi a judice pagano ad inquiſitionem rapiatur, vid. *Cap. V. §. IX. X.* Sed inverſa quoque ſpecie Laicus, vel paganus ſic excipere poteſt contra Judicem Eccleſiaſticum & militarem. *Altera* eſt exceptio *Præventionis*, ſi ob diem delictum jam in alio quodam judicio accuſatus eſt delinquens, de qua ſupra *Cap. V.* eod. egimus. Neque enim ob idem aliquis delictum pluribus legibus reus fieri poteſt. L. 14. ff. de Accuſ. *Tertia* Exceptio eſt *ſuſpecti judicis*, de qua videas tamen, quæ dixi ſupra *Cap. X.*

§. VIII.

Quod ad *perſonam ejus, qui arguitur facinoris*, attinet, diſpiciendum probe eſt, an perſona ea ſit, in quam criminis hujus ſuſpicio conveniat. Vide ſis, quæ ſuperiore loco dixi *Cap. VIII. §. VI.* Nam bene acta ante vita, niſi ſpecialia adſint indicia,

criminis

criminis ſuſpicionem purgat. Eleganter atque appoſite ad hanc rem *L. 7. §. 3. ff. ad L. Jul. Maj. nam & perſonam eſſe, an potuerit facere, & an ante quid fecerit, & an cogitaverit, & an ſanæ mentis fuerit* &c. Sed ad *denuntiantis perſonam* quod pertinet, an inimicus ſit, infamis, vel cujus ea res interſit (*Cap.* VII. §. V.) vel qui amicus aut cognatus ejus ſit, qui læſus eſt, animadvertendum. Nam quæ exceptiones teſtium fidei derogant, eæ denuntianti quoque obſunt, ejusdemque derogant fidei. Spectat ad hunc locum *facta a ſocio criminis nominatio*, quæ, niſi ſub tormentis facta, nullum quidem contra nominatum indicium ad ſpecialem inquiſitionem ſuppeditat, Vid. *Cap. XIII. §. IV.* haud ſecus ac denuntiatio ab ipſa parte offenſa facta. *Ibid. & Cap. XII. §. XVI.*

§. IX.

Exceptiones quidem circa *cauſam ipſam* hæ ſunt. *Primum*, an tale ſit delictum, ex quo ſolennis inquiſitio inſtitui poſſit, conſiderandum. Nam levia crimina de plano diſcutienda ſunt *L. 6. ff. de accuſ.* Adde, quæ ſupra adduxi *Cap. VI. §. IV. ſeqv. Deinde* an indicia tam ſint comparata, ut ex iis ad ſpecialem Judex inquiſitionem procedere poſſit, videndum, ut puta, cum ex anilibus nugis & blaterationibus fama orta eſt, vel cum quis ejus auctor ſit, plane non conſtat, *Cap. VII. §. V.* & *Cap. VIII. §. III.* item ſi teſtibus ipſe Judex certam nominandam perſonam ſuggeſſerit, *ibid. Cap. VIII. §. VII.* vel ſi ſcientiæ cauſam ſuæ non allegaſſent teſtes, *ibid. §. VIII. Tertio* hoc ei reputandum eſt, an conſtet de corpore delicti. Nam inepte de homicidio commiſſo inquirit Judex, quod commiſſum eſſe, non conſtat. *Cap. VII. per tot. Quarto loco* illud videndum, an forte Judex nullitatem in proceſſu inſanabilem, quam vocant, admiſerit. Illud *quinto* enitendum eſt, ut elidantur indicia, veluti ſi delicti commiſſi tempore in alio quodam loco fuiſſe, qui crimine inſimulatur, remve apud ipſum repertam juſto titulo

 acquiſitam,

acquiſitam, vel eundem deprehenſam in loco delicti rem ſuam paulo ante perpetratum facinus alteri commodaſſe, jocoſam fuiſſe confeſſionem extra judicialem, probetur. Argumentum vero ex fuga deſumtum inde purgabitur, quod confeſtim judicio idem rurſus ſe obtulit, ſalvumque conductum petiit. In homicidio in rixa commiſſo elidetur argumentum, ſi alterius cujusdam, vel reliquorum enſis eodem modo vulneri conveniat. In veneficio, venenum malum emtum alius ab ſe uſus cauſa conſumtum, probabit, & quæ ſunt generis ejusdem.

§. X.

Sed *litis finitæ* quoque *exceptiones* ad avertendam inquiſitionem multum conducunt. Quarum *prima* eſt exceptio *rei judicatæ*, ſi ejusdem criminis jam in alio quodam judicio accuſatus, & vel damnatus pœnaque affectus, vel abſolutus fuerit. *Cap. VI. §. IV. Altera* eſt exceptio *transactionis* cum Fiſco, quod abolitio jam a Principe ſit obtenta, vid. *tit. ff. ad SCt. Turpil. & de abol. crim.* item *tit. C. de abolitionibus & tit. C. de abolitione generali*, vel quod Princeps delictum remiſerit, quam vocant aggratiationem. vid. *titt. ff. & C. de ſententiam paſſis & reſtitutis. Tertio loco* venit exceptio *præſcriptionis*. Hæc non tantum in accuſationibus, ſed etiam opponitur in inquiſitione, quia hæc moribus noſtris in illius locum ſucceſſit, ut adeo crimina eodem tempore præſcribantur. Hac ratione omnia delicta Veneris, veluti ſtuprum, adulterium, lenocinium, quinquennio præſcribuntur *L. 29. §. 5. & 6. ff. ad L. Jul. de adult.* Sed violentum ſtuprum annis demum viginti præſcribitur cit. *L.* 29. §. 9. Quod de Sodomiæ quoque crimine verum eſt, ob ejus gravitatem & quod contra naturam fiat. Peculatus crimen quinquennio præſcribitur *L. 7. ff. ad L. Jul. Pecul.* Cauſa quoque commiſſi vectigalis, ſi res, de qua ſolvendum erat vectigal, non amplius extat, quinquennio exſpirat. *L. 2. C. de vectig.* Viginti annis præſcribuntur injuria criminaliter vindicanda, crimen falſi, libelli famoſi, furti,

& ſi

& ſi qua ex reliquis delictis non ſunt excepta. *L. 12. C. ad L. Corn. de Falſ.* Cum extraordinaria quoque crimina, quæ vocantur, XX. annorum præſcriptioni non ſint exemta, eadem & in his obtinebit. Sed de homicidii crimine frequens inter Doctores quæſtio agitatur, an ad hanc præſcriptionem pertineat, propterea quod hujus criminis ultionem jam ante legem Moſaicam latam Deus præſcripſerit, ut adeo in legislatoris humani poſitum arbitrio non ſit, pœnam ejus præſcriptione quadam tollere, præſertim cum in jure expreſſa lex, quæ homicidium poſt vicennium vindicari jubeat, non extet. Sed fortius dicetur etiam hujus criminis eam eſſe præſcriptionem, propterea quod *L. 12. ff. ad L. Corn. de Falſ.* generalia verba ſint, neque generali hoc legis præcepto homicidium exemtum, ulla lege probari poſſit, ne illud dicam, viros inprimis doctos, *Seldenum de J. N. & G. L. 8. c. 1. & Chriſt. Thomaſium in Fundam. J. N. & G. L. 3. c. 7. §. 21.* dicto hoc divino *Gen. IX. 6.* pœnam nominatim talionis in homicidas conſtitutam non eſſe, ex Hebræorum juribus jam abunde demonſtraſſe. Quocirca cur in homicidio præſcribendo a generalibus cit. *L. 12. ff. ad L. Corn. de falſ.* verbis recedamus, ratio non apparet. Divinæ læſæ majeſtatis crimen generali hujus legis ratione contineri, argumentis corroborat *Wiſſenbach. tit. ff. ad L. Jul. Maj. th.* 14. Sed de illo quæritur, an perduellionis quoque crimen ad hoc genus ſpectet. Multa enim hujus criminis cauſa ſingularia a legibus conſtituta, hasque illud quovis modo vindicandum jubere, negandum non eſt. Unde hæc res multum dubitationis habet. Hæredes tamen quinquennii præſcriptione recte ſe defendent. *L. 1. ff. ne de ſtatu def. poſt quinqv. quær.* Currere præterea hæc præſcriptio incipit a delicti momento commiſſi, non ab eo tempore, quo judex cognovit. Sunt hæc clara verba *L. 29. §. 7 ff. ad L. Jul. de Adult.* Sed ſi jam ante quinquennii vel vicennii lapſum incepta ſit inquiſitio, vel ob fugam delinquentis agitari non potuerit, præſcriptio nihil efficiet, quod agere non valenti nulla currit præſcriptio. Non autem *quarto*

loco

loco facit ad avertendam inquiſitionem *pactum* vel *transactio cum parte offenſa*, quod hæc pœnam mitigat, delictum non tollit. Neque enim privati homines ſuis pactis juri publico derogare poſſunt. Vid. infra *Cap. XXV. §. XXXI. ſequ.* Nec facit huc *quinto loco plurium citandorum*, ſeu *criminis ſociorum* exceptio, vel beneficium diviſionis, quod correi delinquendi in ſolidum tenentur *L. 11. §. Sed et ſi plures ff. ad L. Aquil L. 1. §. fin. de his qui dej. vel eff. L. 6. ff. arb. furt. cæſ. L. 1. §. ſi plures ff. de eo per quem fact. L. 38. ff. de Jure Fiſci L. 9. ff. de Jurisd. L. 34. ff. de Injur. L. 21. §. 9. ff. de furt.* Sed vide tamen, quæ monui infra *Cap. XXVII. §. XX.* Neque etiam *ſexto loco* qui *auctorem ſeu mandantem nominat*, inquiſitionem hoc arcet, quod mandans & mandatarius tenentur eadem pœna. *L. 3. §. 4. L. 15. ff. ad L. Corn. de ſicar.* Igitur ut *ſummam* horum omnium dicam, quæ exceptiones ad minuendam pœnam modo ſpectant, eæ rejiciuntur omnes poſtquam ad articulos inquiſitionales jam reſponſum eſt. At enim doli vel deficientis animi delinquendi abſentia ipſum tollit delictum, propterea quod animus & voluntas hoc conſtituunt. Sane qui hoc objiciunt, non ſentiunt, ſupereſſe queſtionem de culpa, cujus quod genus adſit & qui gradus, id demum, cum ad articulos reſponſum, & probatio peracta eſt, liquet.

§. XI.

Illud vero quæri potiſſimum ſolet, an ad defenſionem pro avertenda inquiſitione *acta* reo inquiſitionis generalis *communicanda* ſint. Quod negat *Brunnemannus* in *Proc. Inqu. C. 8. M. 1. n. 75.* pro cujus ſententia facit, quod aliter communicatis cum reo indiciis, hic, qui mendacii vitandi cauſa reſpondendum ipſi ſit, excogitabit & inveniet. Atque hoc & *Mevius P. 3. Dec. 371. & Keyſer in Proceſſu Inquiſ. p. m. 402. ſequ.* ſenſerunt. Contrariam ſententiam, qua affirmatur quæſtio, defendit *Granzius Defenſ. Inquiſ. C. V. M. 1. S. 3. n. 55. 56.* quique ibi ſunt citati *Goazzinus, Gomez, Theodoricus* aliique, quæ & *Bodino* placuit in Diſſ. de *Proceſſu Inquiſ. th. 7.* & quam in Electoratu Saxoniæ receptam eſſe ajunt *Keyſer*

*ser c.l.p.m.*404. & *Granzius c.l.n.*63. Quod ad Cancellariæ Cellensis usum pertinet, recepta est negantium sententia & hanc ob rem postulata inspectio actorum & communicatio denegata fuit in causa inquisitionis contra den *Foctor L.* in po. imputati adulterii.

CAPVT XIV.

DE EXAMINE INQVISITI AD ARTICVLOS INQVISITIONALES.

De examine inquisiti summario. §.I.
De quibus rebus examinandus. §. II.
Articulorum forma. §.III.
Cautio de circumstantiis. §.IV.
Altera de sociis. §.V.
Quantum singulis articulis complectendum. §.VI.
Ex quibus indiciis formandi. §.VII.
Eorum convenientia. §.VIII.
Species. §.IX.
De ordine examinandi. §.X.
Intra quod tempus examen finiendum. § XI.
Quid ob favorem rei observandum. §.XII.
A quo faciendum examen. §.XIII.
De scabinorum præsentia. §.XIV.
Respondendi modus inquisitorum. §.XV.
De verbo: nescio. §.XVI.
Responsio in scriptis quando licita. §.XVII.
Cautio Judici commendanda. §. XVIII.
Quando examen plene absolvendum. §.XIX.
Quid si variet reus. §. XX.
De promissione impunitatis. §. XXI.
Quis eam promittere possit. §. XXII.
Actuarii officium §.XXIII.
De dilatione reo ad respondendum data. §.XXIV.
Usus juramenti an adhibendus. §.XXV.
De Comminatione juramenti. §. XXVI.
De Comminatione tormentorum. §. XXVII.

De simulatione furoris. §.XXIIX. *De prælectione articulorum.* §. XXX.
An Responsioni rei fides habenda. §.XXIX.

§. I.

SImulac inquisiti copiam nactus Judex est, paventem & ob delicti horrorem commissi animo adhuc consternatum *generaliter* statim & *summarie examinare* debet, ne interjecta mora mendaciis se præparet mentemque pertinaciter obfirmet. Id quod maxime inculcant Henricus & Wilhelmus junior Duces **in ihrem Unterricht** §. 4. verbis: **Und wenn sie also einen oder mehr Personen Mißhandlung halben, die an Hals und Hand gehen, entweder uff Anklagen oder Amts halben, oder durch den Weg der** *Inquisition* **oder Erforschung in ihre Hafften bekommen, so sollen sie den Gefangenen, so er uff Anklage oder Amts halben eingezogen ist, alsbald und auf frischem Fusse, so viel möglich, damit sich der Gefangen lang zu bedencken nicht Ursach habe, die Articul und Ursach ... fürzuhalten ꝛc.**

§. II.

In hoc *generali examine* & *summario* inquisitus de causa cur captivus detineatur, interrogari solet, & annon hoc istudve delictum perpetratum ipsi constet esse, quæ de circumstantiis criminis sciat, quo in loco, cum id committeretur, hæserit, & quæ sunt generis ejusdem. Deinde ad *articulos inquisitionales*, qui vocantur, specialiter reus examinatur.

§. III.

His quidem *articulis* interrogationum forma danda est, **ob** *Inquisit* **wisse ꝛc. wo** *Inquisit* **zu der Zeit gewesen ꝛc. ꝛc.** Minus igitur recte propositionibus affirmantibus, positionalium, ut vocantur, super quibus dandorum & respondendorum juramentum obtinet, instar efferuntur, veluti: **Wahr daß** *Inquisit* **&c. &c.**

§. IV.

§. IV.

Præterea in articulis formandis a ſuggerendis *circumſtantiis* abſtinendum Judici eſt. *Ord. Crim. Car. Art.* 56. *D. D. Henr. & Wilh. jun.* **Unterricht** §. 4. **So ſoll er mit Fleiß um alle Umbſtendigkeiten der Handlung ingemein befraget werden.** Reo tamen ignorantiam omnino delicti ſimulante, unam alteramve circumſtantiam adducere, expedit.

§. V.

Eadem plane ratione *ſocii* quoque nominatim ſuggerendi non ſunt, ſed primum ſimpliciter rogandum, quis opem tulerit &c. *D. D. Henr. & Wilh.* **Unterricht** *c. l.* **auch um ſeine Geſellen ingemein ꝛc. ꝛc.** Et, ſi negat ſocios, interrogandus demum eſt, fueritne ipſi adjumento ille, vel iſte. Sed nec eo caſu alios Judex nominatim ſocios ſuggerat, niſi de quibus jam ex generali inquiſitione conſtat.

§. VI.

Singula quidem *momenta* & circumſtantiæ ſingulæ includantur *articulis ſingulis*, nec uno plures reo circumſtantiæ proponendæ ſunt.

§. VII.

Formandi ſunt articuli ex *indiciis*, quæ ſuppeditant generalis inquiſitio, & inquiſiti ſummaria reſponſio.

§. VIII.

Sint iidem quoque *pertinentes*, quos vocant, hoc eſt, conveniant facto. Neque vero minus convenientes habendi ſunt, quibus exploratur inquiſiti vita ante acta.

§. IX.

Oritur inde diſtinctio *articulorum generalium* & *ſpecialium*. Illis exploratur nomen inquiſiti, ætas, conditio & ante acta vita, veluti: **Wie** Inquiſit **heiſſe, wie alt, weß Standes er ſey, womit er ſich genehret, wo er ſich aufgehalten ꝛc. ꝛc.** Sed in quibusdam quoque locis, quibus ſacris addictus ſit, interroga-

terrogatur, quod & in judicio militari noſtro receptum, ex Protocollis notavi. Specialibus articulis comprehenditur delictum ejusque circumſtantiæ.

§. X.

Examinans inquiſitum Judex de articulis non eodem ſemper *ordine* incedat, inprimis ſi ingenio reum callido animadvertat, quin potius iterato examine ordinem articulorum priorem invertet.

§. XI.

Si homo eſt verſutus reus atque ad omnia vel neganda vel captanda aptus, non uno actu abſolvendum eſt examen, ſed de aliis hoc, de aliis alio tempore rogandus, quin repetitio quoque examinis commode adhibebitur. Repetita enim reſponſione varians reus, hoc ipſo quod varie reſpondet, ſuſpectiorem ſe reddit.

§. XII.

Sed in faciendis articulis ad eas quoque circumſtantias probe animum attendat Judex, quibus forte innocentia inquiſiti probabitur. Quin ultro in eas quoque inquirere debet, quibus rei innocentia confirmari poteſt. Judici enim in officio eſt, de rei defenſione laborare.

§. XIII.

Percontatio quidem inquiſiti & examen fiat ab *ipſo Judice. DD. Henr. & Wilh. jun.* **Unterricht §. Und wenn ſie alſo 4.** verbis: **Aber bey der Verhör die Haupt- und Amt-Leute ſelbs mit ſein ꝛc.** *Reſponſio* quoque rei per Actuarium judicii juratum fideliter conſcribenda eſt. cit. §. 4. **Und ſoll ſolches alles durch den Gericht-Schreiber fleißig aufgeſchrieben werden.**

§. XIV.

Aſſeſſores quidem, vel *Scabinos* ſimul cum Judice & Actuario ſaltem duos examini intereſſe jubet Imperator in Ord. Crim.

Crim. art. 46. Sed apud nos receptum eſt, ut ſola Judicis & Actuarii jurati præſentia ſufficiat, nec hunc Notarium eſſe Cæſareum oporteat. Scabini quoque in Præfecturis noſtris ignorantur. Faciunt tamen prudenter Præfecti, ſi Subofficiales ſuos adhibeant, quod in cadavere inſpiciendo & diſſecando fieri, nominatim jubet Conſtitutio noſtra de d. 29. Jan. 1727.

§. XV.

Quod ad Inquiſitum attinet, huic quidem ad articulos ipſi *reſpondendum* eſt verbis *perſpicuis*, ex quibus confiteatur factum, an neget, intelligatur. Hinc obſcura verba & ambigua admittenda non ſunt.

§. XVI.

Neque item *neſciendi* verbo reſpondere poteſt reus, quod ejus, quod ipſe fecerit, ignorantia non ſit probabilis, niſi forte nimiam ac prægrandem ebrietatem ſuam alleget.

§. XVII.

Sed perſonis honeſtiori quodam loco poſitis permittitur nonnunquam reſpondere *literis*, ſi leve ſit delictum, vel ita comparata indicia, ut, an ſolennis contra eam perſonam inquiſitio inſtituenda, dubium ſit.

§. XVIII.

Si ſummariter reum non examinavit Judex, bene quidem facit, qui propoſitis primum articulis generalibus, cum ad detentionis cauſam perventum fuerit, ipſam a reo facti ſpeciem a capite usque ad calcem recenſeri jubeat. Quam cum is narraverit non interrupte, (caveat enim, ne narrationis filum interrumpat Judex) tum quidem, ſi qua omiſerit, vel obſcure dixerit, de iis a Judice interrogandus eſt. Tametſi quoque ingenue & ſecundum rei veritatem ſummariter reus factum eſt confeſſus, ad ſpeciales nihilo ſecius articulos adhuc interrogandus eſt.

§. XIX.

Confitente delictum reo, non est differendum examen, neque dividendum, vel abrumpendum, quam equidem cautionem suppeditavi supra §. *XI.* potius tunc universum conficiendum est.

§. XX.

Varie cum reus *respondit*, hunc varium ejus sermonem ipsi proponat Judex & quo pacto inter se responsiones illæ conciliandæ sint, quærat, & denuo responsum exigat.

§. XXI.

Impunitate promissa non est responsio rei elicienda. Nam ad veritatem eliciendam & in propatulum proferendam honestæ Judici cautiones, non ad decipiendum accommodatæ, adhibendæ sunt.

§. XXII.

Sed *Princeps* ipse, ut eo facilius socios suos manifestet, impunitatem potest promittere, at eandem quoque ipsi servari oportet. *Oldekop. Obs. Crim.* 18. *n.* 6. *tit.* 4.

§. XXIII.

Actuarius quidem, quantum ejus rei fieri potest, verba ipsa a reo prolata literis mandet, diligenter quoque gestus motusque inquisiti annotet, & si forte palleat, vel tremat, vel hæsitet, vel omnino etiam rubore suffundatur ad articulos respondens.

§. XXIV.

Quid si vero *dilationem* reus ad *respondendum* petat? Et hanc non facile concedendam putarem, tum ne mendaciis præparandi se occasionem accipiat, tum quod improba facta oblivioni facile non traduntur.

§. XXV.

Sub *juramenti* quidem religione, quod in Italia & Bohemia fieri solet, ob metum perjurii responsio non est exigenda.

§. XXVI.

§. XXVI.

Alius cautionis locus eſt, ne Judex ſub *comminatione* quoque *juramenti* præſtandi reum interroget. A quo plerumque diſcedere ſolent Judices. Nam expectanda eſt ſententia, qua demum utrum juramento ſe purgare reus debeat, necne, definiendum.

§. XXVII.

Recuſans inquiſitus *reſpondere*, ſub tormentorum comminatione ad reſpondendum adigi poteſt, vel ſi humilis perſona, fuſtibus. Quin & inquiſito omnia præfracte *negante* in examine, ſi gravia contra ipſum argumenta pugnent, pro delicti qualitate ſub tormentorum adhibendorum comminatione melior ab illo confeſſio expoſci poterit. Quod fieri jubent D. D. Henricus & Wilhelmus jun. **in ihrem Unterricht** §. 4. verbis: **und ihn in Güte, oder ſo daß nicht helffen will, mit Bedrauung der Peinlichkeit vermögen, die Wahrheit zu bekennen.**

§. XXVIII.

Furorem vel amentiam ſimulante inquiſito, medici conſulendi ſunt, qui explorent illum & de inquiſiti ſtatu ad acta referant.

§. XXIX.

Reſponſioni factæ fides quidem habenda ſtatim non eſt, ſed explorabit Judex, ſintne circumſtantiæ a reo adductæ congruæ cum veritate, an minus. Si hoc ſit & contrarium potius appareat, denuo reus examinandus eſt.

§. XXX.

Examine tandem ad finem perducto articuli ſimul cum reſponſis reo *prælegendi* denuo ſunt. Quæ prælectio in criminalibus cauſis eo minus omittenda eſt, quod ordinationes noſtræ in cauſis eandem civilibus fieri præcipiunt. **R.** *Interims-Juſtiz-Regl.* §. 1. verbis: **die** *Referen*ten **das** *Protocoll* **nach geendigtem**

digtem Vorbescheide mit dem *Actuario* durchsehen, und über die *Principale*sten Umstände die Partheyen, ob solches ihre Meynung also sey, vernehmen, und wenn ein oder anders nicht recht eingenommen worden, solches ändern. &c. &c.

CAPUT XV.

DE PROBATIONE DELICTI.

Reus negans convincendus. §. *I.*
Quæ probatio requiratur. §. *II.*
Quando imperfecta sufficiat. §. *III.*
Veniæ petitio an sit confessio. §. *IV.*
Modi probandi. §. *V.*
Probatio per instrumenta literaria. §. *VI.*
Probatio per alia instrumenta. §. *VII.*
De instrumentis agnoscendis. §. *VIII.*
De testibus minorennibus. §. *IX.*
De testibus conjunctis. §. *X.*
De infamibus. §. *XI.*
De inimico teste. §. *XII.*
Judicis circa testes arbitrium. §. *XIII.*
Articuli a quo conficiantur. §. *XIV.*
Quales debeant esse. §. *XV.*
De communicandis ad dandum interrogatoria reo articulis quæstio. §. *XVI.*
Ejus in Ducatu Cellensi decisio. §. *XVII.*
Judicis in examinandis testibus officium. §. *XVIII.*
De vocando reo ad videndum jurare testes. §. *XIX.*
De Clericis testibus vocandis. §. *XX.*
De militibus vocandis testibus. §. *XXI.*
De juramento testium. §. *XXII.*
De privilegio Senatorum Cellensium. §. *XXIII.*
Modi coercendi testes contumaces. §. *XXIV.*
De testimonio socii criminis. §. *XXV.*

De

De testimonio auditus. §. *XXVI.*
Judicis & Actuarii officium. §. *XXVII.*
Quid post examen testium faciendum. §. *XXVIII.*
De novis testibus & articulis. §. *XXIX.*
Antiqui probationum modi. §. *XXX.*
De perscrutatione domestica. §. *XXXI.*
Ejus genera. §. *XXXII.*
Quando obtineat. §. *XXXIII.*
Cui Judici competat. §. *XXXIV.*
Quomodo facienda. §. *XXXV.*
De refractariis. §. *XXXVI.*

§. I.

INficiante reo non statim ad tormenta approperandum Judici est, sed dispiciendum prius, an aliis reum probationibus *convincere* possit. Confiteri enim reum, an convinci, paria sunt. Nam in facto liquido & probato condemnatur convictus reus tormentorum usu non adhibito, etiamsi non sit confessus, quod ex Nemesis Carolinæ articulis 67. & 69. efficit *Lynker in Præscript. publ. præscr. 6. n. 3. seqv.* add. *L. 16. C. de Pœnis,* ibi: *convictum. Henr. & Wilh. jun. D. D.* Unterricht §. da aber der Gefangen 12. verbis: oder so er der That nicht geständig, und mit Zeugen vor Gericht überwunden würde ꝛc.

§. II.

Probationes quidem in causis criminalibus luce meridiana clariores vulgo desiderantur *L. fin. C. de prob. O. Cr. Carol. art.* 67. Sed hoc ita verum est, si ex probationibus reus convictus judicandus sit. *Lynker c. l. n.* 6. Aliter & levior probatio ad id sufficit, ut confessio reo per tormenta eliciatur. Quod si enim jam adest probatio luce meridiana clarior, quæstione non opus est.

§. III.

Quin etiam ex probationibus *imperfectis* condemnari potest

reus, si civiliter ex delicto agatur, & hoc ſit levius, corporali pœna non coercendum. *Lynker c. l. n.* 8. *Carpz. P.* 3. *quæſt. Crim.* 116. *n.* 51. *ſq.* & *qv.* 108. *n.* 33.

§. IV.

Sed quid ſi reus Judici ſe ſubmittat, ut abolitionem criminis accipiat, vel ſi delicti veniam oret, an hic habendus pro confeſſo, adeo ut probationibus amplius plane opus non ſit? Et non exiſtimant *Covarruvias L.* 1. *Reſol. Var. C.* 2. *n.* 2. & *Lynker cit. Tr. præſcr.* 1. §. 8.

§. V.

Probatio in cauſis criminalibus perficitur vel *inſtrumentis*, vel *teſtibus*. Hinc probandi modus per delationem jurisjurandi litis deciſorii omnino excluditur. Neque accuſator, cum adeſt ad ſuppletorium, ſed potius reus ſemper ad jusjurandum purgatorium admittendus eſt.

§. VI.

Inſtrumenta literaria probando crimini proditionis, & perduellionis inſerviunt, Venereis delictis literæ amatoriæ. Sed eadem inſtrumenta quoque fidem faciunt in crimine falſi, prævaricationis, concuſſionis, famoſi libelli, injuriarum, interdum quoque in homicidii atque incendii cauſa, ſi literæ comminatoriæ aut diffidatoriæ, quas vocant, reperiantur, & factum homicidium vel incendium poſtea appareat.

§. VII.

Sed nec ſola literaria inſtrumentorum voce, quæ ad probandum inſerviunt, ſignificantur, quin *aliis* quoque *inſtrumentis* ea probatio recte perficitur. Cujus generis exemplum eſt in homicidio, ſi gladius tuus ſanguine rutilans, in furto, ſi res tua, veluti ſcala, calcei vel aliæ quædam in loco, ubi commiſſum furtum eſt, & in adulterio, ſi braccæ tuæ propter lectum reperiantur.

§. VIII.

§. VIII.

Illud nunquam non neceſſarium eſt, ut hæc inſtrumenta tua *agnoſcas*. Quod ſi tua agnoſcere nolis, judex ea per alios teſtes agnoſci curet. Teſtibus tamen deficientibus pro re nata ad juratam diffeſſionem admitteris. Sed poteſt quoque comparationem literarum manusque inſtituere Judex, & exigere, ut tua manu aliquid ſcribas, unde poſtea, an cum literis ſuſpectis hæc ſcriptura manusque conveniat, intelligi poſſit.

§. IX.

Quod ad probationem per *teſtes* attinet, arcentur a teſtimonio in cauſis criminalibus dicendo ob lubricum conſilii *minores* viginti annis *L.* 20. *ff. de Teſtibus.* Sed indicium tamen ad inquirendum præbent, præſertim ſi pubertati ſint proximi. *Brunn. ad L.* 2. *ff. eod. n.* 21.

§. X.

Ob conjunctionem & reverentiam quoque teſtes produci nequeunt *parentes* contra *liberos* & *uxor* contra *maritum*, quod inverſa quoque ſpecie procedit. Poſſunt tamen, ſi velint teſtimonium dicere pro inquiſito & ſic teſtes defenſionales, ut vocantur, ſunt.

§. XI.

Infames quidem Jure Romano admittuntur *L.* 13. *ff. de Teſtib.* Sed quæ fides habenda illis ſit, judicis arbitrio relinquitur *Brunn. ad dict. L.* 13. *n.* 2. *in fin.* Jure tamen Lubecenſi omnino repelluntur, ut probat *Mevius Comm. ad Jus Lubec. L.* 4. *T.* 7. *A.* 4. Plane criminis publici vel ob libellum famoſum damnati jure quoque Romano repelluntur *L.* 3. §. 5. *&* *L.* 21. *ff. de Teſtib.*

§. XII.

Sed nec teſtis *inimicus capitalis* admittitur *L.* 17. *C. de Teſt.* niſi ſtudioſe dataque opera hanc ſibi inimicitiam reus conflaſſet,

ut contra eum testem excipiendi facultas sit. *Nicolai Proc. P.* I. *c.* 59. *n.* 36.

§. XIII.

Omnino hæc cessare cuncta in delictis difficilioris probationis & atrocioribus, item quando aliter veritas haberi nequeat, & tum inhabiles quoque testes admitti, communis est Doctorum sententia. Sed quæ in iis causis testibus hujus farinæ fides habenda sit, id in prudenti judicis arbitrio est.

§. XIV.

Articulos in processu Inquisitorio *probatoriales* ipse Judex conficit. Sed integrum ei est, pro articulis probatoriis ad propositos reo in examine articulos atque ab eodem negatos testes examinare.

§. XV.

Articulos autem oportet esse convenientes, vel quos vocant pertinentes, hoc est qui quadrent & ad factum ejusque circumstantias pertineant.

§. XVI.

An *inquisito* vel ejusdem *defensori* in hoc processu ad dandum interrogatoria *communicandi* sint *articuli*, de ea re maxime inter Doctores disceptatur. Eorum, qui negant, Carpzovius, affirmantium dux est Brunnemannus, cum quo Henricus Bodinus aliique faciunt.

§. XVII.

Ac in *Ducatu* quidem *Cellensi* exploratum est, omnino admittenda esse rei interrogatoria ipsique ob eam causam communicandos articulos probatorios. Ita enim præcipit *Henr. & Wilhelm. jun. D. D.* Unterricht §. 5. So sollen die Gerichts-Verwalter die Ursachen der Anklage, oder der gefenglichen Annehmungen, so die Amts halber geschehen, oder die Vermuthung oder *indicia*, darauf *ad inquisitionem* procediret

*procedir*et worden, fleißig uffschreiben, und die *articul* des Verdachts dem Gefangen zustellen, und ob er Fragstück darauf machen wolle, und sollen dann zu fürderlicher Gelegenheit Zeugen und Kundschafft der *Indicien* oder Vermuthung halben, so wieder den Gefangen seyn, und uff des Gefangen Fragstück, ob er die übergeben, verhören ꝛc. ꝛc. Usu tamen fori legem hanc salutarem parum custodiri, negandum non est. Addatur hoc loco *Mevius P.* 2. *D.* 321. *n.* 9. Et hoc receptum quoque in Marchia finitima esse, testis est *Bodinus* in *cit. Diss. de Proc. Inquis. th.* 9.

§. XVIII.

Sed quamvis inquisitum cum interrogatoriis dandis audiri, receptum ubivis non sit, vel etiam inquisitus ipse hæc offerre Judici nollet, Judex tamen in officio habet, testes ad Interrogatoria Ordinationis generalia, quibus ætas, vitæ ratio & conditio testium exploratur, prius quam ad articulos examinentur, percontari. Quod in terris quoque Calenbergicis usurpatum esse, ex Relatione quadam accepi. Quin testes quoque ad quemvis articulum super causa scientiæ & necessariis circumstantiis ex officio a Judice interrogari, æquum est. Hoc enim ad defensionem rei pertinet, quæ Judici cuique religioso cordi esse debet.

§. XIX.

Eadem quoque ratione inquisitum, vel ejus defensorem ad videndum jurare testes vocari, fas est, quod etiam præterea id efficere potest, ut, cum testes jurare videat reus, eo facilius ad confitendum factum adducatur.

§. XX.

Clerici ad perhibendum in causis criminalibus testimonium a Judice laico immediate & Consistoriis non requisitis in terris Electoralibus nostris vocari possunt per *Edictum Electo-*

rale de d. 29. *Julii* 1712. in *Supplemento* **der Landes-Ordn.** *p.* 169. Si qua vero ſub ſigillo confeſſionis, quod vocant, a reo fidei ipſorum commiſſa ſunt, ea revelare nec poſſunt, nec debent. Add. *Petrus Müllerus de ſigillo Confeſſionis.*

§. XXI.

Milites, cum ipſorum teſtimoniis in cauſis criminalibus opus eſt, ad forum civile ordinarium, requiſito prius Duce vel Præpoſito ipſorum, ſiſtendi ſunt, ut ibi examinari & confrontari cum inquiſito, ſeu in ejus conſpectum produci poſſint. Ad quem mutuæ viciſſitudinis uſum, cum militari judicio teſtes pagani, ſeu non milites, opus ſunt, Magiſtratus quoque civilis obligatus eſt ſecundum **das allgemeine Ausſchreiben an alle Beamte, wie ſie es zu halten, wenn in** *Criminal-* **und andern Fällen einiger** *Militair-***Perſonen Abhörung nöthig, oder** *Confrontationen* **mit ihnen anzuſtellen, oder auch von dem Kriegs-Gericht die** *Citirung* **einiger unter ihrer** *Jurisdiction* **ſtehender Perſonen verlanget wird** *d. d.* 15. *Nov.* 1695. *Vol.* **der Gerichts-Ordn.** *pag.* 687. *ſqv.*

§. XXII.

Juramento teſtium remoto cum teſtimonium in cauſa civili nullum ſubſiſtat, tum multo minus in cauſa ardua criminali. A quo præſtando nec Clerici immunes ſunt, quos hoc non relevat aſſeveratio juramenti loco, vel ſub honore ſacerdotali, (**an Eydes Statt, oder bey Prieſterlichen Ehren**) Nam in omni actu, qui corporale juramentum exigit, hæc aſſeveratio ſufficere non exiſtimatur. *Ludovici* in *Uſu diſtinct. Jurid. L.* 12. *Tit.* 2. *diſt. ult. in fin. Ruland de Commiſſ. L.* 2. *c.* 11. *n.* 32. Nec eſt quod objicias, mendacium falſumve teſtimonium non exiſtimari fieri a Clerico. Nam pro laico quovis honeſto & bono viro eadem opinio militat, neque tamen, quod ajunt, Johannes omnis illico propterea Evangeliſta eſt.

§. XXIII.

§. XXIII.

Sed quid dicendum eſt de *Senatoribus Cellenſis civitatis*, qui ex Statuto Erneſti & Franciſci DD. eo privilegio gaudent ſingulari plane atque eximio, ut, cum teſtium loco producantur, uſitatum teſtium juramentum præſtare, opus non habeant, potius ut habenda fides ſit per juramentum ratione muneris præſtitum deponentibus. Statuti verba hæc ſunt: **Raths-Perſonen mögen bey den Eyden, die ſie dem Rath geſchworen, zeugen.** *Jus Statut. Cell. tit.* 6. §. 3. Privilegium ſane Pontifici ipſi Romano denegatum. Sed etſi hoc in civilibus cauſis ſtatutum omnino uſu adhuc obtineat, magis tamen eſt, ut ad criminales cauſas non pertinere, exiſtimaverim, quod hic non de glande legenda, ſed de vita hominis agitur, & privilegium hoc maxime deflectens a communi jure merito tunc limitandum eſt. Add. *Martini* in *Comm. ad Proc. Elect. Sax. Tit.* 20. §. 3. *n.* 57. 58. 59. ubi eadem perſonis illuſtribus in Archi-Ducatu Auſtriæ, regnoque Bohemiæ & Sueciæ itemque in Bavaria conceſſa privilegia tradit.

§. XXIV.

Contumaces teſtes vel qui reſpondere clare & diſtincte recuſant non tantum mulcta pecuniaria, ſed etiam carcere, quin tormentis quoque pro re nata ad reſpondendum convenienter, compelli poſſunt.

§. XXV.

Socio quidem *criminis* fides non habetur, niſi factam ſociorum nominationem ſub tormentis confirmet.

§. XXVI.

Sed & de *auditu alieno* teſtes nihil probant, ut potius, ſi ab aliis ſe accepiſſe dicant, judex hos, a quibus habent auctoribus, examinandos curet. Omnino tamen qui de auditu & ſenſu ſuo ipſorum deponunt teſtes, fidem faciunt.

§. XXVII.

§. XXVII.

Judex ipſe teſtium examini intereſſe, Actuarius vero ipſâ teſtium verba, non alia ejusdem ſenſus, in Protocollo annotare debet.

§. XXVIII.

Peracto teſtium examine examinandus de iis, quæ negavit, denuo reus eſt, & de veritate non reticenda ſevere admonendus. Quo præfracte iterum pernegante, teſtes in ejus conſpectum producendi ſunt, quæ *confrontatio* vocatur, & Capite ſequenti a nobis exponetur.

§. XXIX.

Semel examinatis teſtibus, *alios* producere, aliosque articulos conficere, Judex non prohibetur, propterea quod temporis ſpatio peremtorio probatio in proceſſu inquiſitorio non includitur. Aliter atque in proceſſu accuſatorio.

§. XXX.

Vetuſtis temporibus per *ignem* quoque, *aquam* & *pugnam ſingularem* peracta eſt probatio, quam ſpeciem vocant Caniſtæ *purgationem vulgarem t. t. X. de purg. vulg.* quæ alibi dicitur *jus ordalii*, quod plenius perſecutus eſt *Schottelius de ſing. in Germ. juribus Cap.* 28. Speculator Saxonicus de ea re in hunc modum loquitur *L.* I. *Jur. Prov. art.* 13. **Sie ſollen haben dreyerley Wahl, daß heiſſe Eiſen zu tragen, oder in einen wallenden Keſſel zu greiffen bis an den Ellenbogen, oder mit Kämpffen ſich zu erwehren.** Sed hoc probationis genus prohibitum Jure Canonico *cap.* 1. *&* 2. *X. de purg. vulg.* jam dudum eſt abolitum.

§. XXXI.

Ad modos probandi delicta, inprimis furtum pertinet quoque *perſcrutatio domeſtica* (**die Haußſuchung.**) Quam nec Romanis incognitam fuiſſe probat locus *Gellii* in *Noct. Att. L.* II. *c. ult.* & *L.* 16. *c.* 10. add. *L.* 3. *ff. de fugitiv.* item *t. t. C. de ſerv.*

serv. fugit. t. t. ff. de L. Fabia de Plag. & hoc *conceptum* dicebatur furtum *lance* & *licio*, de quo videatur *Heineccius* in *Synt. Antiquit. Roman. L. IV. Tit.* 1. §. 13. *sq.*

§. XXXII.

Inveſtigationis autem hujus duplex genus eſt, alterum *generalis*, cum loci cujusdam vel plateæ domus omnes perveſtigantur, alterum *ſpecialis*, quæ fit tantum in domo ſuſpecta, neque ſuſcipienda eſt, niſi, cum de corpore delicti conſtiterit, indicia denuntians argumentaque ſuppeditet ſpecialia, quæ Judici probabilia viſa fuerint.

§. XXXIII.

Sed fit hæc perſcrutatio domeſtica non ob furtum ſolum, verum &, ſi a marito uxor, a Magiſtratu ſubditus, a domino homo proprius & ſervus aufugerit. Quin uſurpari quoque ſolet in cauſis homicidii, tumultus & quæ hujus generis ſunt, cum occultavit ſe delinquens & latitat. Sed extra terras & imperium niſi requiſito alieno Judice fieri nequit.

§. XXXIV.

A quo inſtituenda ſit hæc perſcrutatio, fiatne a Judice civili, cujus Jurisdictio patrimonialis eſt (der die Erb-Gerichte hat,) an a Judice criminali, collatis inter ſe diſſentientium argumentis, plenius tractat *Jo. Chr. Lipoldus Tr. de Perſcrutatione domeſtica cap.* 6. & hic quidem, niſi quod hanc regulam aliquantulum limitat, exiſtimat, faciendam a Judice inferiori, patrimoniali jurisdictione inſtructo. Quod procedit, ſi adhibeatur inquiſitioni præparandæ.

§. XXXV.

Privata quidem auctoritate ea perſcrutatio non fit, ſed niſi periculum in mora ſit, neque judicis copia haberi poſſit, *judex* ſuper illa re adeundus eſt. Neque a ſpeciali perſcrutatione incipiendum eſt, niſi gravia quædam adſint argumenta,

quæ in ſuſpicionem adducant certas ædes, in quibus corpus delicti latitet.

§. XXXVI.

Qui perſcrutationi ſe opponunt *refractarii*, ſeverius non modo ad eam concedendam adigi poſſunt, ſed & recte in eos animadvertitur ſecundum *L. 3. ff. de fugitiv.* add. *Henr. Balth. Rothii Diſſ. de eo, quod juſtum eſt circa domum cujusque propriam & ſuam cap.* 13. *n.* 11. Nec eventu aliter cadente, de injuria conqueri potes, quod Magiſtratus non injuriæ inferendæ, ſed publicæ vindictæ perſequendæ animo faciat *L. 33. ff. de Injur.* modo juſta ſemper indicia & ſuſpiciones adeſſent. *Roth. c. l. n.* 5. 6.

CAPUT XVI.
DE CONFRONTATIONE.

Confrontatio quid ſit. §. *I.*
Cur adhibeatur. §. *II.*
Quando inſtituenda. §. *III.*
Quomodo facienda. §. *IV.*
Quando non facienda. §. *V.*
De confrontandis ſociis delicti. §. *VI.*
De teſtibus confrontandis. §. *VII.*
Confrontationis protocollum quomodo conficiendum. §. *VIII.*
De teſtium præſentia a reo poſtulata. §. *IX.*
Scriptores hujus materiæ. §. *X.*

§. I.

Confrontatio eſt commiſſio teſtium cum inquiſito praxi inveterata introducta.

§. II.

Hæc omnino quidem in proceſſu inquiſitorio neceſſaria non requiritur, ſed utiliter tamen adhibetur ad confundendum reum, qui vix negare factum poterit teſtibus præſentibus,

bus, præſertim cum hi ſingulas facti circumſtantias ipſi in os recenſent.

§. III.

Inſtituenda eſt non principio proceſſus ad nudam alicujus denuntiationem, ſed demum *poſt examen* rei teſtiumque.

§. IV.

Præterea non pluribus ſimul, eodem actu & quaſi in turba, ſed *ſingulis* teſtibus adhibitis inſtituenda eſt. Aliter enim tot teſtium inquiſitus clamore confunderetur.

§. V.

Ob *diſparem* tamen perſonarum *conditionem abſtinere* a confrontando Judex debet. Hac ratione cum patre filius, cum reo nobili & in dignitate quadam conſtituto teſtis vilis & cum reo potentiore pauper committendus non eſt, niſi cum ſumma id exigit neceſſitas.

§. VI.

Sed non cum teſtibus ſolum inquiſitus, ſed etiam ſi plures *inquiſiti* ſint criminisque ſocii, illi inter ſe confrontari & poſſunt & debent.

§. VII.

Sed & *teſtes* confrontari inter ſe poſſunt, ſi contraria & repugnantia deponant interque ſe diſſentiant. Quod quidem ob eam cauſam fit, ut dicta ſua concilient & eorum conſenſum efficiant.

§. VIII.

Quod ad protocollum factæ confrontationis attinet, hoc ab Actuario ita conficiendum eſt, ut ponatur primo articulus, ſuper quo fit confrontatio, deinde confirmatio teſtis cum reſponſione rei.

§. IX.

Sed ipſe quoque, ſi velit, reus ad innocentiam probandam ſuam, ut coram ſe ſiſtantur teſtes, flagitare poteſt.

Omnino enim reo licet interrogare teſtes de una circumſtantia, vel altera, & mendacii eos, ſi poſſit, convincere.

§. X.

Ceterum hanc rem omnem præter *Carpzovium* in *Praxi* ipſius *Criminali* aliosque commodiſſime *Tabor* perſecutus eſt in eo libello, qui *de confrontatione* agit. Quorum quidem ſcripta huc transferre non vacat.

CAPVT XVII.

DE INQVISITI DEFENSIONE PRO AVERTENDA TORTVRA VEL PRO POENA AVT MITIGANDA AVT PLANE TOLLENDA.

Defenſio reprobationi ſimilis. §. *I.*

Quando ſuſcipienda. §. *II.*

Ejus deſcriptio. §. *III.*

An concedenda ſemper. §. *IV.*

Ad defendendum quis admittatur. §. *V.*

Judicis circa defenſionem officium. §. *VI. VII.*

De munere defenſoris ſuſcipiendo. §. *VIII.*

An ad hoc cogi quis poſſit. §. *IX.*

De defenſore generali ſingulare quid. §. *X.*

De aſſeſſore judicii defenſore. §. *XI.*

De actis defenſori communicandis. §. *XII. XIII.*

De ſpatio ad defenſionem concedendo. §. *XIV.*

Forma defenſionis. §. *XV.*

De articulis defenſionalibus. §. *XVI. XVII.*

Qui teſtes admittantur. §. *XVIII.*

De interrogatoriis Fiſcalis & Judicis officio. §. *XIX.*

De iteranda defenſione. §. *XX.*

Scriptores hoc loco conſulendi. §. *XXI.*

De ſumtibus defenſionis. §. *XXII.*

De advocatorum honorario & impenſis. §. *XXIII. XXIV.*

§. I.

§. I.

DEfensionis beneficium substitutum est in locum reprobationis, quæ in processu inquisitorio recepta non est. Quibus conveniens est, ut cum hoc beneficio inquisitus nisi facta jam a se responsione & probatione contra ipsum peracta non admittatur, nisi forte suscepturus pro avertenda inquisitione defensionem, de qua dictum supra est Cap. XIII.

§. II.

Hæc quidem defensio post conclusionem in causa factam latamque sententiam locum adhuc habet, & cum ea audiendus reus est. Sed ordo tamen procedendi postulat, ut suscipiatur defensio post examen testium peractum, antequam reus tormentis subjicitur, vel ad pœnam condemnatur sustinendam. *Ord. Crim. art.* 47.

§. III.

Defensio autem nihil aliud est, quam innocentiæ rei expositio & probatio, qua indicia & argumenta ipsum onerantia eliduntur, vel ejusdem exceptiones probantur, & aut tormentorum locum non esse, aut impositam alias a legibus delicto pœnam in reum non convenire eamque adeo vel tollendam plane, vel saltem mitigandam esse, demonstratur.

§. IV.

Ac est quidem juris naturalis defensio, adeo ut eam nec ab Imperatore tolli posse, vulgo contendant Doctores, etiamsi delictum notorium sit & atrocissimum. Nam in notoriis quoque exceptiones reo suæ non deesse possunt, & quo delictum est atrocius graviorque ejus pœna, eo cautior procedere debet Judex. *Lynker* in *Præscr. publ. præscr.* 6. *n.* 5.

§. V.

Ad quam suscipiendam non *reus* solum ipse, sed & *cognati* ejus & propinqui admittuntur, quin *extraneus* quoque, etiamsi nihil ejus intersit. *L.* 6. *ff. de appell.*

§. VI.

Omnino si deficiunt omnes, *Judici* in *officio* est, defensioni rei prospicere *L.* 19. *ff. de pœn.* etiamsi defensorem non requirat reus. Quippe cum hic vitam suam profundere videtur, judicis officium est, pro rei innocentia curam gerere, *Ord. Crim. art.* 47. Atque idem inculcant *Henricus* & *Wilhelmus junior Duces* in dem Unterricht §. Und wenn das Gericht 9. verbis: oder aber durch einen Vorsprachen Amts halben, so kein Ankläger vorhanden ist, der Ubelthat halben beklagt und des Gefangen Schutz-Rede und Entschuldigung, so er die fürzuwenden hätte, angehöret, auch Gegen- und Wiederrede mit Fleiß angemercket werden.

§. VII.

Clarioribus hoc expressit verbis Georgius I. gloriosæ memoriæ Rex in Rescripto de d. 3. Sept. 1722. So ist es auch unser Wille, daß denen *Inquisiten* nicht allein, wenn sie es verlangen, sondern auch wol dem Befinden nach *ex officio Defensores* gegeben werden sollen. Quem secutus Georgius II. Rex noster clementissimus d. 2. Maji 1730. in eum modum rescripsit. Ihr wisset, daß bereits von Unsers in GOtt ruhenden Herrn Vaters Maj. höchstlöblich verordnet worden, daß allen und jeden *Inquisitis* ohne Unterscheid, ob sie es verlangen oder nicht, *Defensores* gegeben werden sollen.

§. VIII.

Hoc igitur reo inprimis indulgendum est, ut *defensorem* sibi ipse eligat. Sin ejus constitutionem Judici committit, Advocatus defensor ipsi ex officio constituitur, qui quidem demandatum hoc sibi a Judice munus gratis suscipere debet. Sic enim rescripsit Rex noster hodie imperans Serenissimus d. 10. Maji 1730. Nachdem nun bishero nicht üblich gewesen, denen *Advocatis* für dergleichen *Defensiones* etwas zu geben, und

ſolche ohnedem als *officia publica* anzuſehen ſind, welche bekann- ter maſſen *gratis* verrichtet zu werden pflegen ꝛc. ꝛc.

§. IX.

Quod ſi igitur defenſiones *muneris publici* ſunt, recte Advocati ad eas ſuſcipiendas cogi poſſunt. Nam ad munus publicum obeundum omnino publica auctoritate adigimur *L.* 214. *ff. de V. S. Lauterb.* in *Coll. Pand. tit. de Munerib.* §. 2. *in f.*

§. X.

Non poſſum non probare hoc loco conſuetudines finitimarum regionum, Mindenſis Principatus & Comitatus Schaumburgo-Lippiaci, aliarumque, in quibus ordinarius quidam defenſor conſtitutus eſt, cui ſalarium ex reditibus publicis datur. Quæ ratio ad præcidendum quemque & celerius expediendum proceſſum inquiſitorium multum facit.

§. XI.

Judicii aſſeſſori cuidam defenſoris in cauſis criminalibus partes imponit *Ordinatio Criminalis Carolina art.* 88. Sed id non ubivis, in terris noſtris Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus plane non ſervatur.

§. XII.

Omnino cum effectu ſuſcipi defenſio reique innocentia exponi nequit, niſi *copia indiciorum* fiat inquiſito, vel ejus defenſori. Quamobrem acta defenſori communicanda ſumtibus rei, vel ſi hic ſuppeditare ſumtus nequeat, univerſa ad perluſtrandum in loco judicii acta præſente Actuario cauſæ edenda ſunt. *Mev. P.* 2. *Dec.* 321.

§. XIII.

Hæc eſt differentia proceſſus inquiſitorii & accuſatorii. In hoc ordinario modo peragitur reprobatio, ante quam rotuli probatorii publicentur, aliter plane atque in inquiſitorio, ubi communicatis demum reo probationibus reprobatio, ſeu quæ in ejus locum ſucceſſit, defenſio peragitur.

§. XIV.

§. XIV.

Ad conficiendam defenſionem concedendum defenſori eſt *temporis ſpatium*, quod ſatis ſit. Id cum lege nulla definitum ſit, judicis arbitrio determinandum relinquitur. Apud nos dari ſolet quatuor hebdomadarum ſpatium, qui quidem terminus non eſt præcluſivus, ſed hoc elapſo quoque adhuc admittitur defenſio, dum doloſe cauſa protrahi non videatur. Nam ſic præfigi terminus quidam poteſt ſub pœna præcluſi.

§. XV.

Modus defendendi hic eſt, ut primum contraria indicia elidantur, eaque vel ad convincendum reum, vel etiam ad quæſtionem decernendam non ſufficere, demonſtretur, vel quoque ſecundum id, quod tempora & circumſtantiæ ſuadent, ita delictum comparatum non eſſe, ut ejusdem pœna ex lege ordinaria locum habeat, exponatur. Quod ſi nulliter quoque in inquirendo proceſſum fuerit, defenſor nullitates iſtas proponet.

§. XVI.

Sed cum nuda interdum verba non ſufficiant, & potius opus ſit, probare innocentiam, nec non exceptiones & circumſtantias in defenſione allegatas, reprobatoriorum loco defenſori *articulos* exhibere *defenſionales* & de iis examinandos teſtes denominare licet. **Unterricht** Ducum Henrici & Wilhelmi jun. §. **Als wann** 10. **ſo ſolle ihme Beweiſung zugelaſſen werden, und die Zeugen, ſo er derhalben fürzuſtellen, vor dem Gericht beeidigt, und wie ſich die Sach eigentlich zugetragen, und alle Umſtände, eigentlich, ein jeder Zeuge inſonderheit befragt und ihre Auſſage fleißig aufgeſchrieben werden.**

§. XVII.

Teſtes quoque antea productos & examinatos ſuper articulis defenſionalibus jurato iterum examinandos *reproducere*, defenſori licet. Quod facere tum inprimis expedit, cum ad

danda

danda ſuper articulis fiſci probatoriis Interrogatoria reus admiſſus non eſt.

§. XVIII.

Pro defenſione *admittuntur* teſtes alias inhabiles, ut puta domeſtici, cognati, & ſi velint, parentes & conjuges. Sed quæ fides habenda ipſis ſit, Judicis poſtea arbitrio relinquitur. *Brunn. Proc. Inquiſ. c.* 8. *m.* 3. *n.* 35. 36.

§. XIX.

Si reus cum interrogatoriis ſuis ad articulos probatorios eſt admiſſus, non immerito quoque cum interrogatoriis ſuis audiendus eſt Fiſcalis. His deficientibus poteſt, quin debet Judex teſtes ad defenſionem productos interrogare ex officio ſuper ſcientiæ ſuæ cauſa aliisque circumſtantiis, quæ occurrunt, ne per defenſionem obſcurato facto promeritam reus pœnam effugiat.

§. XX.

Herum quoque defenſio & tertium, quin poſt concluſionem in cauſa latamque ſententiam fieri poteſt, dum novam quandam & probabilem rationem alleget.

§. XXI.

Formulas defenſionum plures in variis criminibus exhibet *Keyſeri Inquiſitions-Proceß* item *Thœnnikeri Advocatus prudens in criminalibus*. Huc pertinet quoque *Granzii* liber ſatis amplus & diffuſus de *defenſione inquiſitorum*. Quos ſcriptores conſulat, qui velit.

§. XXII.

Sumtus ad defenſionem peragendam neceſſarii, ſi inquiſitus unde eos ferre poſſit, non habeat, a fiſco ſuppeditandi ſunt.

§. XXIII.

Quod dixi ſupra §. VIII. Advocatos noſtros ad defenſiones inquiſitorum gratis ſuſcipiendas obligari, hoc de eo caſu

intelligendum eſt, ſi ex officio conſtituantur, & non procedit, ſi quem inquiſitus defenſorem ſuum denominat, & quantum ad honorarium Advocati ſatis eſt, in bonis habeat.

§. XXIV.

Sed incidunt cauſæ, ut inquiſitis nihil in bonis ſit, & Advocatis tamen eorum defenſionis obeundæ gratia acta inſpicienda, vel cum inquiſito colloquendi cauſa iter faciendum ſumtusque erogandi ſint, vel ut diffuſa admodum & difficilis cauſa ſit, quæ labores extraordinarios depoſcat. Tum ſane a fiſco erogatæ pecuniæ reſtitutionem & pro re nata aliquod etiam honorarium Advocati, Cancellariis hoc moderantibus, accipient ſecundum *reſcriptum Regium de d.* 10. *Maji* 1730.

CAPVT XVIII.

DE ACTORVM TRANSMISSIONE IN CAVSIS CRIMINALIBVS.

Judex patrimonialis acta transmittere debet. §. *I.*
Præfectorum officium. §. *II.*
Cancellariæ decernunt. §. *III. IV.*
Quando transmittantur acta. §. *V. VI.*
De actis inrotulandis. §. *VII.*
De literis ad Collegium JCtorum. §. *VIII.*

§. I.

PRobatione delicti collata cum defenſione rei, ſtatus cauſæ difficilis ſæpe fit & impeditus. Neque delictorum omnium pœna legibus determinata eſt. Circumſtantiæ quoque nonnunquam aut gravant factum, aut minuunt. Hinc ſi qui in terris noſtris *patrimoniali* gaudent *jurisdictione*, ad Collegia JCtorum vel Scabinorum ſententiæ concipiendæ gratia *trans-*

transmittere acta debent. Sic sane præcipiunt Henricus & Wilhelmus junior Duces **in dem Unterricht §. 6. Die aber Häuser uff Pfandschafft von Uns oder eigen Gericht haben, die sollen solche Sachen, damit sie den Sachen nicht zu viel noch zu wenig thun, an einen Schöppen-Stuhl gelangen, und sich des rechtens darüber belernen lassen.**

§. II.

Præfecti (**Beamte**) vero debent acta universa juncta relatione ad Cancellarias justitiæ mittere. Hoc quoque præcipit Henrici & Wilhelmi jun. jam allegata *Institutio* §. 5. **und dann, was bis dahin in der Sachen gehandelt, an Uns gelangen lassen, und unterschiedlich berichten, was der Gefangen gethan &c. &c.**

§. III.

Directores tum & Consiliarii *Cancellariis* justitiæ administrandæ causa constitutis præpositi ponderatis actis & probe examinatis vel docent Præfectum, quid ipsi ad instruendam inquisitionem adhuc faciendum restet, vel causa satis jam instructa sententiam ferunt, qua aut quæstionem habendam decernunt, aut condemnant inquisitum, aut absolvunt.

§. IV.

Ordinatio quidem Carolina criminalis *transmittere* quemvis Judicem in criminalibus causis *acta* ad JCtos jubet, adeo ut, quod observat *Oldekopius Obs.* 7. *n.* 11. quinquagies plane septies hoc præceperit. Sed hoc in Cancellariis nostris usu non servatur, potius a Directore ipso & Consiliariis sententia fertur, propterea quod Constitutio Carolina mores respicit illius seculi, quo non, ut hodie, ex viris jurium peritis collegia ubivis consistebant.

§. V.

Quod si tamen suis inquisitus sumtibus ut transmittantur acta ad collegium JCtorum extraneorum petat, vel Cancella-

ria id ipſa pro cauſæ qualitate neceſſarium eſſe exiſtimet, acta transmittere non poteſt ſolum ex officio, ſed etiam requirente reo ſumtusque ſubminiſtrante debet.

§. VI.

Sed accidit ſæpiſſime, ut, cum inquiſitus ſuppeditare ſumtus ipſe non poſſet, ejusdem defenſor ad transmiſſionem actorum provocaret, utque fiſcus ejus rei ſumtus erogaret, poſceret. Quo facto hi defenſores citra omnem neceſſitatem grave fiſco onus impoſituri erant. Quamobrem ad abuſum hunc tollendum Rex noſter Sereniſſimus in epiſtola quadam ad Cancellariam Cellenſem data d. 2. Maji 1730. reſcripſit, transmiſſionem quidem actorum inquiſitis, ſuis ipſorum ſumtibus, denegandam non eſſe, fiſcum vero hos ſumtus aliter non laturum, niſi Director & ipſi Conſiliarii gravibus adducti cauſis neceſſariam eam judicent. Spem enim ac fiduciam ſibi eſſe, Conſiliarios ſuos æque ac extraneos JCtos ſecundum conſcientiam ſuam in criminalibus cauſis decreturos eſſe & judicaturos. Qua re Advocatorum petulantiæ obex poſitus eſt, ne ſine ratione quadam vana tantum ſpe mitioris conſequendæ ſententiæ ducti fiſcum inanibus ſumtibus ſubminiſtrandis vexent.

§. VII.

Cum acta ad Collegium quoddam JCtorum extraneorum transmittenda ſunt, univerſa transmittantur numerisque conſignentur, adeo ut defenſores quoque apud nos ad videndum inrotulari acta citari, receptum ſit. Vid. *Bodinus* Diſſ. *de Proc. Inquiſ. th.* 10.

§. VIII.

Literæ ad Collegia JCtorum verbis generalibus concinnandæ ſunt, & omnino ne ſuggeratur quid, cavendum. *Bodinus ibidem.*

CAPVT

CAPUT XIX.

DE TORTURA EAQUE SPIRITUALI SEU DE PURGATIONE CANONICA.

Medium eruendæ veritatis tortura. §. *I.*
Ejus divisio. §. *II.*
Torturæ spiritualis definitio. §. *III.*
De septem compurgatoribus. §. *IV.*
Quando hoc juramentum locum habeat. §. *V.*
Cui imponatur. §. *VI.*
Ejus solennitates. §. *VII. VIII.*
Effectus. §. *IX.*
Quid si præstando juramento contradicat confessionarius. §. *X.*

§. I.

Solent inprimis agere plerumque rei secundum tritum illud, si fecisti, nega, nec probationes semper delictorum tam dilucidæ fiunt, ut condemnari ex iis possit reus. Quamobrem receptum est veritatis eruendæ remedium quæstio, seu quam vocant, TORTURA.

§. II.

Est autem hujus duplex genus, alterum *spiritualis*, alterum *corporalis.*

§. III.

Spiritualis quidem quæstio seu tortura nihil aliud est, quam juramentum purgatorium, quo, præcedente Judicis sententia, quod ad crimen, cujus insimulatus est, esse sese innocentem, probat reus. Et hæc vocatur *purgatio Canonica c. f. X. de Purg. Canon.* eo, quod sola hæc ab Ecclesia probaretur, reliquis ferri candentis, duelli &c. damnatis.

§. IV.

Antiquis temporibus obtinuit, ut adhiberentur, *compurgatores* septem, interdum plures, qui de innocentia rei jusjurandum

randum credulitatis præſtarent. *c.* 5. *X. eod.* add. *Ant. Matthæi de Probat. cap.* 1. *n.* 21. *ſeqv.* Verum id hodie in deſuetudinem abiit. Eosdem in Camera quidem Imperiali in crimine fractæ pacis publicæ requirit. *Ord. Cam. P.* 2. *tit.* 10. *Gail. de Pac. publ. L.* 2. *c.* 7. Sed hoc noſtris temporibus obtinere, dubitat *Rodinger in Pand. Cam. L.* 3. *tit.* 4. §. 46. Apud Pontificios in Curiis Eccleſiaſticis adhuc ſervari, tradit ex Anſelmo *Matthæi c. l. n.* 33.

§. V.

Defertur hoc juramentum non ex ſemiplena probatione, ſed ob cauſam ſuſpicionis urgentis gravis, & obtinet tantum in delictis levioribus, licet olim id ubique & in omnibus criminibus Francis uſitatum, uti ex *Greg. Turonenſ. L.* 7. *c.* 22. *apparet.*

§. VI.

Quod ad *perſonam*, cui hoc imponitur, attinet, debet eſſe, citra hoc quod ei imputatur delictum, integræ famæ atque exiſtimationis *c.* 1. *X. de purg. Canon.* nec perjurii ſuſpectus, *cap.* 22. *qv.* 2. Humilioribus enim perſonis & malæ exiſtimationis pro juramento purgatorio applicatur territio ſeu quæſtionis comminatio, vel ſi levius ſit delictum arbitraria quadam plectuntur pœna, ſed mitiori, quam ſi erant convicti. *Carpz. Qv.* 116. *n.* 51. *ſq.*

§. VII.

Sed Jusjurandum hoc *fit* aut manu pectori admota, ut Sacerdotes faciunt Pontificii & vulgo apud nos fœminæ, vel ſublata tantum dextra vel prioribus ejus digitis, alicubi etiam tactis Evangeliis. Anton. *Matthæi c. l. n.* 26. 27. evenit quoque, ut qui reo a confeſſionibus eſt, vel alius eccleſiæ miniſter in ipſo jurandi actu adhibeatur: Qui quidem de perjurio vitando dicendoque vero ſeverius inquiſitum admonet.

§. VIII.

§. VIII.

In quibusdam locis receptum est, ut in *jurandi actu* candelæ accendantur, aperiantur januæ conclavis & fenestræ hujusque generis plura. Sed nobis ejusmodi solennitates ignorantur. Neque sine superioris consensu solennitates ritusque hucusque insolitos adhibebit Judex. Quin si nihilominus adhibere velit, subire eos non obstringitur reus, cui justum potius gravamen appellandi superiorem Judicem inde nascetur. Ritus in juramentis Judæorum adhiberi solitos præscribit **Ober**-*App.* **Ordn.** P. *tit.* 8. **Zell. Hoff-Ger. Ordn.** P. 2. tit. 16. **Cal. Cantzl. Ordn.** in *app. form.* 21. add. **Königl. und Churfl. Erleuterung der Form des Juden-Aydes,** de Anno 1729.

§. IX.

Qui præstare juramentum hoc *recusat*, confessus habetur, at qui *præstitit*, absolvendus est, sed ab expensarum restitutione immunis non erit, quod actionibus suspectis suis institutæ contra ipsum inquisitioni ansam dedit. *Brunn. Proc. Inqv.* c. 9. *n.* 6.

§. X.

Sed quid si in ipsa præfixa die, solenni ante admonitione facta, paratus ad jurandum sit reus, is qui a confessionibus ipsi est, adhibitus ad admonendum eum, præstando juramento contradicat, crepans metum perjurii? Quod quidem aliquando contigisse memini in saltuario quodam perfidiæ contra officium suum commissæ incusato. Res tum ita decidebatur, ut omnino absolveretur inquisitus & juramentum haberetur ac si præstitum esset, propterea quod spirituali jam ratione tortus esset reus, nec stetisset per ipsum, quo minus actu & revera jurasset. Quod utrum bene, an male pronuntiatum, & an juramento revera non præstito purgatus quis dici possit, id vero aliis dijudicandum committo.

CAPUT XX.

DE TORTURA EAQUE CORPORALI.

Connexio. §. *I.*
Torturæ corporalis definitio. §. *II.*
Est remedium fragile. §. *III.*
Cautio Judicis. §. *IV.*
De Corpore delicti. §. *V.*
Tortura pro eruendo corpore delicti. §. *VI.*
Quale ad eam delictum requiratur. §. *VII.*
Torturæ remedium subsidiarium. §. *VIII.*
Qualia requirantur indicia. §. *IX. X.*
Personæ a tortura immunes. §. *XI.*
Immunes ob ætatem. §. *XII.*
Immunitas ad tempus. §. *XIII.*
Immunes ob defectum rationis. §. *XIV.*
Qui non immunes. §. *XV.*
De tormentis insolitis. §. *XVI.*
An sententia publicanda, §. *XVII.*
Cancellariarum officium & mos §. *XVIII.*
Territio. §. *XIX.*
Territio verbalis. §. *XX.*
Realis territio. §. *XXI.*
Tormentorum gradus. §. *XXII. XXIII.*
Monitum. §. *XXIV.*
A quo torquendi initium fiat. §. *XXV.*
Torquendi tempus. §. *XXVI.*
Quorum præsentia requiratur. §. *XXVII.*
De admonendo torquendo. §. *XXVIII.*
Actuarii officium. §. *XXIX.*
De quo reus interrogandus. §. *XXX.*
Quomodo interrogandus. §. *XXXI.*
Monitum. §. *XXXII.*
Officium Actuarii. §. *XXXIII.*
Diuturnitas quæstionis. §. *XXXIV.*
Quid post torturam a Judice faciendum. §. *XXXV. XXXVI.*
De revocante reo. §. *XXXVII.*
De ulteriore defensione. §. *XXXVIII.*
De repetenda quæstione, §. *XXXIX.*

Monitum

Monitum. §. *XL.*
De iterum revocante. §. *XLI.*
De tertium revocante. §. *XLII.*
Quando revocationi locus non detur. §. *XLIII.*
Effectus torturæ. §. *XLIV.*
Merces carnificum. §. *XLV.*

§. I.

TOrturæ ſeu quæſtionis corporalis loco utique habenda eſt *purgatio vulgaris* quæ olim in Germania uſitatiſſimi moris fuit & igne, aqua pugnave ſingulari fieret. Sed quoniam de hac jam actum eſt ſupra *Cap. XV.* §. *XXX.* ſequitur, ut nunc de quæſtione agamus, prout ea apud nos in foro criminali uſurpatur.

§. II.

Eſt vero *tortura*, ſive *quæſtio corporalis* interrogatio per tormenta, quæ inſtituitur a competente Judice adverſus eum, qui de crimine quodam gravi urgentibus indiciis oneratus eſt, ad indagandam facti illiciti veritatem introducta.

§. III.

Eſſe quæſtionem fragile eruendæ veritatis remedium remque periculoſam, equidem cum *L.* 1. §. 23. *ff. de Quæſt.* lubenter agnoſco. Sed an idcirco & quod imperiti interdum judices abuſi ea ſunt, e rebuspublicis & judiciis Chriſtianorum eliminanda ſit & proſcribenda, quod Oldekopius aliique ſentiunt, id vero in præſentia excutere, non vacat. Hæc enim quæſtio ad prudentiam pertinet conſultatoriam, non judiciariam. Quæ de ea re in utramque partem diſputata ſunt, adduxit Dn. *Gribnerus* in *Diſſ. de repetitione tormentorum.* §. 2. & 3.

§. IV.

Sed ob eam ipſam cauſam, quod fragile veritatis eruendæ remedium & periculoſum eſt quæſtio, *cautus* maxime & providus in ea decernenda Judex ſit.

§. V.

Inprimis vero *ante* de corpore delicti constet, quam ad quæstionem procedatur. Sed de illo quidem egimus supra *C. VII.*

§. VI.

Sed incidunt causæ, ut *pro eruendo* quoque *corpore delicti* quæstio decerni possit, puta cum reus flagitium fatetur quidem, sed quo abdiderit atque occultaverit corpus delicti, indicare detrectat. *Carpz. Pr. Crim. Qv.* 16. *n.* 10. Conferantur hoc loco, quæ adduximus supra *Cap. VII.* §. *VI.*

§. VII.

Omnino *delictum* quoque debet esse *ejus generis*, ut vindicetur vel ultimo supplicio, vel pœna, qua corpus affligatur. In levioribus criminibus, quæ carcere tantum vel relegatione coercentur, quæstio adhibenda non est, ne ipsa pœna durior ratio eruendæ veritatis sit. Sed quod ad decoctores pertinet, quos Bancoruptores appellant barbare, de iis Constitutio Georgii I. de d. $\frac{15}{16}$ Martii 1726. extat, quæ inscribitur **gegen die muthwilligen und vorsetzlichen** *Banqueroutir***er.** Hac cavetur, ut quæstio habeatur de iis, qui dolose creditores suos defraudarunt, inprimis ut bona ipsorum manifestentur. Verba Constitutionis hæc sunt; **und nach Gelegenheit der Umstände auf Gefängniß, Banden und auch die scharffe Frage, vornehmlich zur** *manifestir***ung des** *corporis bonorum* **zu erkennen.**

§. VIII.

Hoc amplius desideratur, ut alia ratione veritas haberi non possit. Quoad enim spes superest, testibus aliove modo convictum iri reum, abstinendum est a tormentis, quæ demum *in subsidium* adhibenda sunt. *L. 9. ff. de quæst.*

§. IX.

Postremo adesse debent *argumenta*, quæ ad conjiciendum sufficiant eaque *gravia* & haudquaquam infirma. Sunt autem

indicia

indicia seu argumenta aut communia, aut singularia, quæ cuivis delicto propria, sunt plena, vel minus plena. Sed quoniam hunc locum ample satis tractare solent Doctores in Commentariis suis ad *tit. Dig. de Quæst.* delegabimus potius eo legentem hæc, & quæ jam dicta supra sunt *Cap. VIII. §. III--IX. & Cap. IX. §. XIII--XXV.* conferre jubemus.

§. X.

Illud modo monendum hoc loco est, complura quidem in *Ordinatione Criminali Carolina* delictorum argumenta specialia recenseri, sed non excludi ob id verisimilia alia & gravia.

§. XI.

Tormentis *exemti* sunt ob personæ dignitatem & munus *milites*, quod intelligendum est de Præpositis (Officier) non de gregariis. *L. 8. C. de Quæst. Decuriones* quoque a quæstionibus immunes sunt, quibus comparandi hodie sunt *Senatores* in civitatibus municipalibus *L. 16. C. eod.* item *nobiles* & *Doctores L. 8. & 10. C. de Dignit.* præterea quoque *Clerici L. 8. C. de Episc. & Cler.* quibus *literarum* quoque *studiosos* adnumerat *Brunnemannus* in *Proc. Inquis. C. 8. m. 5. n. 24.* Sed eorum omnium immunitas in criminibus atrocioribus cessat, quæ nihil facit quoque in decoctoribus, quippe qui despecta status vel dignitatis eorum conditione, ut bona manifestent & indicent sua, torqueri possunt secundum allegatam supra §. VIII. Constitutionem contra decoctores latam, cujus §. I. verba sunt. **Er sey von was** *Condition* **und Stande, Würden und Wesen er wolle.**

§. XII.

Aetatis ratio a quæstionibus immunes reddit *impuberes L. 10. pr. ff. de Quæst. L. 1. §. 33. ff. ad SCt. Syll.* Et hoc propterea obtinet, quod capitali pœna affici nequeant. *Senes* quoque, qui integritatem mentis amiserunt, tormentis eximuntur. *Carpz. Qu. 118. n. 40.*

§. XIII.

Sed *ad tempus* immunis eſt fœmina *gravida*, quoad partum non edidit, quanquam & poſt hunc editum immunitas illi hæc ad hebdomades ſex indulgetur.

§. XIV.

Rationis mentisque *inopia* excipit furioſos, mente captos, & qui melancholia ſumma laborant.

§. XV.

Sed non excipiuntur *hernioſi*, & qui ex *podagra* laborant, vel *ulcuſcula* in brachiis gerunt, qui omnino tormentis ſubjiciuntur, at *temperate*, ne morbus inde ipſorum aggraveſcat. Quæ moderatio quoque adhibenda eſt in muliere *lactante*, ne nutrimentum infanti intercipiant tormenta. *Ord. Cr. art.* 59. Quod ſi vero durioribus tormentis opus ſit, puta in delicto atrociori, alii cuidam lactandus nutriendusque mulieri dandus eſt infans.

§. XVI.

Inſolito inſuetoque tormentorum *genere* uti Judex non debet. Sed Principi pro re nata alia tormentorum genera in priorum locum ſubſtituere, liberum eſt.

§. XVII.

Sententia quidem, quæ tormentorum gradus reo dictitat, coram eo publicanda vel ad ejus notitiam perferenda non eſt, ſed gradu hoc celato generaliter ei denuntiatur, quæſtionem de eo haberi, decretum eſſe, **daß die Peinliche Frage gegen ihn erkannt ſey.**

§. XVIII.

An quæſtioni applicandus reus ſit, Cancellariæ noſtræ cognoſcunt & decernunt quoque, ſed ad Regem ejusve conſilium ſanctius ante de ea re referre ejusque comprobationem expectare prius debent, quam ſententiæ executio fiat. Neque vero ſolennis apud nos ſententia de adhibenda quæſtione concinnatur,

cinnatur, nec publicatur, sed regia approbatione insecuta, quæstionem de ipso, ni sponte fateatur, habitum iri, reo nunciatur.

§. XIX.

Sed contingit quoque, ut *territio* tantum adhibeatur, veluti cum humilis loci est reus, cui ob metum perjurii jusjurandum purgatorium satis tuto deferri nequit, item cum delictum est leve, vel in gravioribus delictis, cum argumenta ad tormenta ipsa applicanda non sufficiunt.

§. XX.

Quæ territio vel *nuda* est, sive *verbalis*, vel *realis*. Verbalis duplex ratio est. Nam vel extra quæstionis locum comminatur Judex, ni sponte veritatem facinoris confiteatur, reus severe de ipso quæstionem habitum iri; vel ad quæstionis locum reus deducitur, ubi inservientia ad quæstionem instrumenta reo proponit carnifex, qui eundem simulans se comprehensurum interrogat, sed non comprehendit, nec tangit, woselbst ihm der Scharff-Richter die zur Peinlichkeit gehörige *Instrumenta* vorzeiget, und er von demselben, als wolle er ihn angreiffen, befraget wird, jedoch ohnangegriffen.

§. XXI.

Alterum genus est *realis*, cum traditur carnifici reus, vestibus exuendus, denudandus & ducendus ad equuleum, instrumenta quoque ad quæstionem pertinentia proponuntur & pollicum forcipes ei adhibentur, sed nondum vero arctantur, wenn der *Inquisit* dem Scharff Richter übergeben wird, daß er ihn ausziehen, entblössen, zur Folter-Banck führen, die zur Peinlichkeit gehörige *Instrumenta* vorzeigen, und ihm die Daumschrauben auffsetzen möge, jedoch mit denenselben nicht würcklich zugeschraubet wird. Contingit quoque, ut arctentur forcipes, sed remissius & lenius, es wird zugeschraubet, jedoch gelinder maßen.

§. XXII.

Tormentorum apud *Saxones gradus* ſunt tres. *Primus* isque inferior continet compreſſionem manuum, pedum & crurium, **das Händ- Fuß- und Bein-Schrauben.** Formula tum pronuntiandi hæc eſt, **gelinder weiſe.** *Alter* gradus ſeu medius comprehendit expanſionem in ſcala ſeu equuleo, **die Spann- und Ausdehnung auf der Leiter und Folter-Banck,** & tunc pronuntiatur, **ziemlicher maſſen.** *Tertium* gradum efficiunt incenſa injectaque ſulphura ferventia, **angezündete Schwefel-Höltzer, und aufgeworffener heiſſer Schwefel,** & tum formula pronuntiandi eſt; **mit der Schärffe.** Quam rem omnem tractavit *Carpzovius Qv.* 117. *n.* 59. *ſeq.* Quæ pronuntiandi formulæ JCtis, inprimis Saxonibus, uſitatæ cognoſcendæ probe ſunt, quod qui locutionum hujus ignarus eſſet, facillime errorem committeret.

§. XXIII.

Apud *nos* quot tormentorum genera, tot *gradus* ſunt, quorum ordo hic eſt, ut *primo* loco ſint pollicum forcipes, **die Daumſchrauben,** *deinde* crurum preſſus, **die Bein Schrauben,** vel **Spaniſche Stieffel,** *tum* armillæ ſeu brachiorum vincula, **die Schnüre,** *quarto* loco conſtituatur expanſio in equuleo, quæ fit ſubjecto inſtrumento quodam ligneo dentato, quod Germani ſatis lepido vocabulo vocant leporem lardi particulis diſtinctum, **die Aufziehung auf der Folter-Banck mit Unterlegung des geſpickten Haſens.** *Ignea* tormenta facile non adhibentur.

§. XXIV.

Tormentorum gradus vel ſententia expreſſus, vel a Cancellariis præſcriptus Præfectis ſervandus ſollicite eſt, nec poteſt modum Judex definitum excedere.

§. XXV.

Si ſocii criminis ſunt maſculus & fœmina debilior & in-

firmior

firmior alius, alius robuſtior, alter minor, ſenior alter, *quæſtionis initium* faciendum eſt a fœmina, vel a debiliore, vel a minore.

§. XXVI.

Habenda quæſtio eſt horis *matutinis*. Sed quibusdam in locis adhibetur tempus nocturnum. Sane cum pomeridianis horis, vel veſpertino tempore quæſtio habenda, cibus inquiſito præbendus non eſt, quod hic extendere inteſtina dicitur, adeoque torquendus facilius læditur.

§. XXVII.

Agenda quæſtio eſt *præſente* Judice, Scabino & Actuario jurato. *O. Cr. art.* 46. In Cancellaria Cellenſi moris eſt, ut, cum ex præfecturis Grosſvogtejæ ſubjectis mittitur delinquens ad Cancellariam torquendus, adhibeantur ex Senatu Cellenſi duo, qui ob id dicuntur *Malefiz*-**Herren**, de quo conferenda ſunt, quæ dixi ſupra *Cap. V. §. XXVI.*

§. XXVIII.

Sed priusquam ad quæſtionis habendæ locum ducatur reus, quin & cum eo deductus eſt, ſevere a Judice admonendus eſt, ut ſponte confiteatur veritatem facinoris, nec tanta animi pertinacia & obſtinatione corpus ſuum membraque excrucianda præbeat. Quam ob rem argumenta quoque ipſum gravantia exponenda ſunt.

§. XXIX.

Quæ reſpondet reus a Judice in eum modum admonitus, Actuarius protocollo mandare debet. Quod ſi reus admonitione & exhortatione nulla ad confitendum ſponte adducetur, carnifici torquendus traditur.

§. XXX.

Interrogandus autem reus eſt de ipſo *delicto*, non de indiciis & argumentis, quæ explorata jam eſſe debent. Neque enim iis nondum exploratis ſubjici tormentis poteſt.

§. XXXI.

§. XXXI.

Sed interrogandus quoque eſt *articulatim.* Ob quam cauſam articuli quidam, ſeu interrogationes minutæ, a Judice conficiuntur, de quibus tam ante, quam etiam tum, cum quæſtio fit, interrogatur. Et plerumque ſententia articuli iſti exprimuntur, Præfectis noſtris a Cancellariis præſcribuntur.

§. XXXII.

Faciendæ interrogationes ſunt remiſſis aliquantulum tormentis. *O. Cr. art.* 58.

§. XXXIII.

Actuarii eſt, quicquid reſpondit reus, quæ verba ſub tormentis protulit omnia, quin & ejusdem lamentationes adnotare diligentiſſime, nec non inceptæ & finitæ quæſtionis tempus.

§. XXXIV.

Ultra *horæ* quidem ſpatium continuandi tormentorum cruciatus facile non ſunt. Quod ſi tamen corporis conſtitutio id recipit, & obſtinatio inquiſiti eſt manifeſta & aperta, omnino ad horæ ſpatium adſtrictus Judex non eſt. Conferatur *Wildvogelii Diſſ. de arbitrio judicis circa torturam c.* 6. §. 4.

§. XXXV.

Actu quæſtionis *abſoluto* diligenter Judici inquirendum eſt in facinoris circumſtantias, quas allegavit reus ſub tormentis, num veritati ejus dicta congruant, utrum conveniant cum probationibus teſtiumque elogiis, an minus, & quæ hujus generis ſunt alia.

§. XXXVI.

Sed & *poſt* quæſtionem habitam altero vel tertio die extra locum quæſtionis interrogandus reus eſt, num confirmet, quæ dixit ſub tormentis, rataque habeat.

§. XXXVII.

Quod ſi confeſſionem ſub tormentis factam ratam habere nolit

nolit reus, dictaque sua *revocet*, tunc *iterum* quæstio de eo habetur, sed hoc ita, ut de iteranda illa præcesserit sententia. Præfecti vero nostri referre ad Cancellarias ea de re debent, & an repetenda quæstio, instruentur, nec ante quæstionem repetere possunt suo arbitrio, quam ulterius de hoc mandatum Cancellariæ acceperunt.

§. XXXVIII.

Si res id exigere videtur, vel si reus hoc requirit, ulterior ante defensio concedenda est, quam repeti quæstionem decernatur.

§. XXXIX.

In *repetenda* quæstione tormenta facile non sunt augenda, nisi cum recentia alia accedant argumenta, quæ reum gravent. Ad quæ diluenda tamen defensione reus sua antea audiendus est.

§. XL.

Ordinatione quidem Carolina criminali art. 57. repeti prohibetur quæstio, cum confessus lapsum se errore probaturus sit. Sed hoc vero nihil significari aliud, quam illud, audiendum esse reum, si id flagitet, ulteriore ante defensione quam repetatur quæstio, docet *Dn. Gribnerus cit. Diss.* §. 12.

§. XLI.

Iterum tortus si confessionem *denuo revocat*, nec ratam habere vult, potest in delictis atrocissimis *tertium* torqueri.

§. XLII.

Sed si *tertium* quoque *revocet* confessionem sub tormentis factam, convictus non est habendus, quin potius adficiendus est pœna quadam extraordinaria, quæ nec ultra relegationem facile extendenda.

§. XLIII.

Sed hæc omnia ita sunt, cum reus revocavit confessionem sub tormentis factam, prius quam ratam eam habuerit. Cete-

rum ſi *ratam ſemel habuit* confeſſionem extra quæſtionis locum, revocatio nihil efficit, dum ex actis facinus exploratum, ſeu, quod ajunt, corpus delicti adeſſe, reumque argumentis, ob quæ tortus eſt, maxime urgeri, liqueat. Ob quam cauſam judices inferiores differre executionem ſententiæ, Præfecti de ea re ad Cancellarias prius referre, & qui patrimoniali JCtione inſtructi ſunt, prudentum conſilium expetere debent. Quod ſi in his quoque cauſis ad ulteriorem rei defenſionem provocent, hæc ipſis denegari non poteſt. Sane in cauſa inquiſitionis ob parricidium infantis contra Mariam Eliſabetham Kœhniam Cancellaria Cellenſis excitare ex officio defenſorem ad parandam ulteriorem defenſionem non dubitavit. Sed inanis tamen erit defenſio contra confeſſionem ratam ſemel habitam, & poſtea revocatam, niſi nova reus argumenta ſuppeditet. *O. Cr. art.* 91.

§. XLIV.

Ceterum *effectus* quæſtionis is eſt, ut, quæ ſub tormentis enuntiavit reus, rataque poſtea habuit, vera habeantur. *Lauterb. Coll. Pand. tit. de quæſt.* §. 55.

§. XLV.

Carnificum pro torquendi actu mercedem definit Edictum Electorale d. d. 16. Januar. 1712. quod eſt in *Continuatione Supplementi Conſtitutionum provincialium* & Georgii Wilhelmi Reſcriptum generale de d. 12. Novemb. 1687. in *Vol. Ord. Polit. Cap.* 33. *pag.* 983.

CAPVT XXI.

DE SENTENTIA DEFINITIVA.

Confeſſionem ratam habitam quæ ſequantur. §. *I.* *Judicis patrimonialis & Præfectorum officium.* §. *II.*

Cancel-

Cancellariarum officium. §. *III.*
De Senatu Imp. aulico & de Ducatu Guelpherbytano. §. *IV.*
Quando confirmatione regia opus non sit. §. *V.*
Consiliarius in caussis criminalibus referens. §. *VI.*
Sententiæ divisio. §. *VII.*
Absolutio ab instantia. §. *VIII.*
Ejus effectus. §. *IX.*
Absolutio a tota causa. §. *X.*
Monitum de stilo Curiæ. §. *XI.*
Qui tormentis indicia elisit, quemadmodum absolvendus. §. *XII. XIII.*
De urpheda præstanda. §. *XIV.*
Ejus definitio. §. *XV.*
Quando in expensas condemnetur absolutus. §. *XVI.*
Qui reus condemnetur. §. *XVII.*
Condemnatio ex imperfectis probationibus. §. *XVIII.*
De stilo curiæ. §. *XIX.*
An capitis damnati expensas restituant. §. *XX.*
Mos quidam singularis de ferendis sumtibus. §. *XXI.*
Liberi damnati a quo alendi. §. *XXII.*

§. I.

REis, etsi facinus sub tormentis confessi sint, & hoc ratum postea habuerint, deneganda tamen, si requirant, non est pro mitiganda pœna alia defensio. Qua peracta demum sententiam profert Judex. Quod si reus jam in superiore defensione exposuit ea, quæ ad mitigandam pœnam facere possunt, alia defensione non expectata ad sententiam Judex venire potest, nisi defensionem denuo reus speciatim requirat. Judex enim cum sententiam fert rationem ex officio habere obligatur eorum, quæ ad minuendam pœnam reo prosunt.

§. II.

Qui *jurisdictione patrimoniali* instructi sunt, debent acta pro ferenda sententia transmittere vel ad Facultatem quandam Juridicam, vel ad Collegium quoddam Scabinorum, Præfecti vero regii ad Cancellarias. Henricus & Wilhelmus junior Du-

ces in *Institutione* sua §. 5. in hunc modum edicunt: **Dann was bis dahin in der Sachen gehandelt, an Uns gelangen lassen;** & §. 6. **die aber eigen Gericht haben, die sollen solche Sachen, damit sie nicht der Sachen zu viel oder zu wenig thun, an einen Schöppen-Stuhl gelangen lassen, und sich des Rechtens darüber belernen lassen.** Quæ §. 6. allegata mentionem quidem injicit eorum quoque, qui præfecturas quasdam jure pignoris possident, **die Häuser auf Pfandschafft von Uns haben,** quos itidem acta ad Scabinorum collegium quoddam transmittere jubet. Sed jam usurpatum est, ut ii quoque de criminalibus causis ad Cancellarias referant, & sententia ab his concipitur.

§. III.

Cancellariis justitiæ cognoscendas causas criminales decidendasque commisit Rex noster & Elector potentissimus, sed ita, ut quod facta in Consilio deliberatione judicatum est, si pœna vel capitalis, vel qua corpus affligatur, vel relegationis irroganda veniat, approbandum Regi, vel ejus consilio sanctiori mittant. Quod fit concinnato quodam Voto humillimo, quo facti species cum decidendi rationibus exponitur. Quod si rationes adsint, quæ ad mitigandam pœnam adducere Regem possint, eæ simul sunt explicandæ. Et ita quidem rescripsit Georgius Ludovicus Elector d. 23. Januar. 1714.

§. IV.

Quod in *Consilio* quoque *Imperiali aulico* in causis criminalibus usu servari, testis est *Gerken* in *Otio Vienna-Ratisb. Cap.* 5. §. 1. Formula ibi solita, qua hoc exprimitur, est: *Fiat Votum ad Imperatorem.* Atque in Ducatu *Guelferbytano* eundem usum servari, probant *Relationes criminales Laffertianæ.*

§. V.

Quod si vero vel absolvendus reus est, vel tantum pœna quadam

quadam arbitraria carceris vel pecuniaria afficiendus, regia confirmatione opus non eſt.

§. VI.

Transmiſſio actorum quemadmodum obtineat in Cancellariis, dixi ſupra *Cap. XVIII.* §. *VI. & VII.* Adjiciendum hoc loco illud eſt, in Cancellaria Cellenſi cauſas olim criminales Conſiliario juniori dirigendas & ut de iis ad Collegium referret, traditas eſſe. Quem morem in Cancellaria quoque Guelferbytano uſu adhuc cuſtodiri, compertum eſt. Sed ſuſtulit eundem in Cancellaria Cellenſi *Georgius I.* Rex & Elector pie jam defunctus, qui ad Directorem eum in modum reſcripſit: **Demnach Wir gnädigſt gut gefunden, daß es mit denen an dortiges** *Juſtiz*-**Cantzley**-*Collegium* **kommenden** *Criminal*-**Sachen hinführo wie bey hieſiger** *Juſtiz*-**Cantzley zu halten, und folglich die** *Criminalia* **allezeit nach der Riege unter die Räthe** *diſtribui***ret werden ſollen; So haben Wir euch ſolches gnädigſt bedeuten wollen, und werdet ihr deßhalber im** *Collegio* **behuſige Anzeige thun. Hannover den 23.** *Martii* 1711.

§. VII.

Eſt vero *ſententia* definitiva vel *abſolutoria*, vel *damnatoria.*

§. VIII.

Abſolutio fit vel *ab inſtantia*, vel *a tota cauſa.* *Ab inſtantia* abſolvitur reus deficientibus argumentis gravioribus, & tum formula pronuntiandi hæc eſt: **daß in Ermangelung näherer** *Indiciorum* **wieder** *Inquiſi***ten nichts weiter vorzunehmen.**

§. IX.

Sed hæc quidem abſolutio ab inſtantia non impedit, quo minus, emergentibus novis argumentis & quæ magis urgeant, denuo contra eundem inquiratur. Hinc nonnunquam ad Judices inferiores reſcribitur, ut actiones omnes inquiſiti diligenter & ſollicite inſpiciant, & ſi major de eo ſuſpicio emergat,

ſtatim de eo referant; **Sie hätten aber auf des** *Inquiſiti* **Thun und Laſſen fleißig acht zu haben, und wenn ſich mehrer Verdacht gegen ihn herfür thun ſollte, davon ſo fort zu berichten.**

§. X.

A tota cauſa fit abſolutio, ſi reus innocentiam ſuam demonſtravit, & tum pronuntiatur: **daß** *Inquiſit* **von der wieder ihn angeſtellten** *Inquiſition* **zu entbinden ſey.**

§. XI.

Quod ad ſtilum curiæ pertinet, notandum eſt hoc loco, apud nos ſententiam quandam ſolennem non publicari, ſed per Reſcriptum ad inferiores Judices explicari non tantum, ſi reus abſolvendus eſt, verum & ſi pœna carceris, pali pœnalis, aut numellarum, vel etiam mulcta pecuniaria dictanda.

§. XII.

Illud videndum eſt, de quo Doctores maxime inter ſe diſſentiunt, num qui *tortus* argumenta ſe urgentia eliſit, *abſolvendus* ſit pure & finite a tota cauſa, an tantum ab inſtantia. Alii enim abſolvendum pure exiſtimant, in quibus *Gomez. P.* 3. *C.* 13. *n.* 28. & *Antonius Matthæi L.* 48. *tit.* 16. *C.* 4. *n.* 16. Contra ab inſtantia tantum abſolvi placuit *Brunnemanno* in *Proc. Inquiſ. C.* 9. *n.* 1.

§. XIII.

Ego ſic exiſtimo, ut, quemadmodum in cauſa civili is, qui juramentum neceſſarium præſtitit, eodem modo is, qui urgentia ſe argumenta fregit tortus, ab inquiſitione abſolvendus ſit, ſed ita, ut, abſolutio hæc nihil impediat, quo minus novis exiſtentibus argumentis, inquiſitioni iterum ſujiciatur. Qua in re habemus nobiſcum conſentientem Dn. *Bœhmerum Introd. ad Jus Dig. tit. de Quæſt.* §. *ult.* Nam etſi quæ reus ſub tormentis dixit, vera eſſe præſumantur, probationem tamen contrarii hæc præſumtio recipit, & tum præſumtio cedit veritati. Cognitum deinde illud quoque eſt, ſi quis juramento purgatorio

torio præſtito abſolutus ab actione ſit, nihil hoc impedire, quo minus contra illud in integrum reſtitutus actor ad probationem contrarii admittatur *L.* 31. *ff. de Jurejur.* Churfl. Br. Lün. Ober-*App.* Ord. P. 2. T. 8. S. 3. §. 17. *Brunn. Proc. Civ. C.* 23. *n.* 33. Quid igitur, cur in eum, qui tormentis ſe purgavit, emergentibus probatisque novis argumentis, iterum inquiri non poſſit? Abſolutus eſt reus, ſed ſecundum argumenta priora, quæ infirmavit tortus, non ſecundum ea, quæ jam exiſtunt poſt habitam quæſtionem. At enim in probatione contra juramentum præſtitum neceſſarium non recipiuntur teſtes noviter reperti, ergo nec recipientur teſtes ad argumenta nova probanda. Ad hanc vero objectionem facilis eſt reſponſio. In propoſito enim ceſſat ratio ſubornationis, ob quam in civili cauſa teſtes non recipiuntur. Neque vero hæc metuenda eſt a Judice, qui ex officii ratione agit, & cui proinde hæc res ad privatum ipſius commodum nihil affert.

§. XIV.

Sed ſive ab inſtantia, ſive a tota cauſa abſolvatur reus, *Urphedæ* tamen, quam vocant, juramentum præſtandum ei eſt ſemper.

§. XV.

Urpheda vero eſt juramentum, quo inquiſitus recipit, nolle ſe captivitatem perpeſſam illicito quodam modo in Judice ejusve miniſtris ulciſci.

§. XVI.

Præterea abſolutus quoque reus, qui vel actionibus reprobandis, vel gloriando anſam inquiſitioni dedit, ad expenſas haud immerito quidem reſtituendas condemnatur. *Brunn. c. l. n.* 2.

§. XVII.

Damnatoria ſententia non tantum fertur in confeſſum reum, verum & in convictum, etiamſi non confeſſum. Subeant

hoc

hoc loco legentis animum, quæ dixi ſupra *Cap. XV. §. I.* Evolve quoque, ſi placet *Godofr. Barthii Diſſert. de convicto non confeſſo* & *Godofr. Nic. Ittigii Diſſ. de confeſſo non convicto.*

§. XVIII.

Quemadmodum ex imperfectis quoque probationibus damnari reus poſſit, dixi eodem *Cap. XV. §. III.*

§. XIX.

Quod ad ſtilum curiæ attinet, illud meminiſſe quoque oportebit, pœna capitali, vel relegatione, vel damnatione ad opus publicum & ad ergaſtulum decernenda, ſententiam quandam damnatoriam ſolennem & plenariam concipi & publicari quoque Regis & Electoris nomine.

§. XX.

Damnatos ad ultimum ſupplicium ſimul *expenſarum* proceſſus inquiſitorii reſtituendarum nomine condemnari poſſe, *Brunnemannus* exiſtimat *c. l. n.* 3. Sed in foro Luneburgico contraria eſt ſententia recepta, quod mors omnia ſolvat. Et hæc ſententia veteri quoque Germanico juri conſentanea eſſe videtur, quo quis morte ſua Judici emendam, actori mulctam ſolvere dicebatur, Vid. *App. Jur. Prov. Sax. tit.* **Todtſchlag und ander böſe argliſtige Mißhandelung,** & *Sententiæ Scabinorum Lipſienſium Juri Prov. Sax. Zobeliano adjectæ tit.* **von Wette und Buſſe.**

§. XXI.

Quarundam præfecturarum mos ſingularis eſt, ut ſubditi ferant ſumtus cauſarum criminalium. Sed his quidem præfectorum ſportulæ pro expediendo proceſſu neutiquam adnumerantur. Hunc enim laborem Officiales noſtri & Præfecti ex officii ratione ſuſcipere debent gratis, niſi ad reſtituendas expenſas judiciales ſpecialiter reus condemnetur. Quod declaravit Cancellaria Cellenſis in reſponſo ad Regimen Stadenſe dato d. 3. Nov. 1722. cujus verba ea ſunt: **ohnverhalten ſeyn,**

daß denen Beamten hier im Lande dergleichen *Sportuln*, es wäre denn, daß die *Inquisiten* zu Erstattung der Gerichts-Kosten *condemni*ret, nicht gut gethan werden, sondern sie die bey *Inquisitionen* vorfallende Amts-Arbeit *ex officio* ohne Entgeld verrichten müssen. Zelle den 3. *Nov.* 1722.

§. XXII.

Neque etiam ad hos ſumtus a ſubditis ferendos pertinet, ut alant infantes, quos forte reliquit delinquens, ſed eorum alendorum onus ad ea ſpectat, quæ jurisdictioni inhærent; quod reſcripſit Cancellaria Cellenſis ad Præfectum Kneſebeccenſem d. 25. *April.* 1726.

CAPVT XXII.

DE APPELLATIONIBVS IN CAVSIS CRIMINALIBVS.

Appellationum criminalium conditio Romana. §. I.
Earundem conditio Germanica. §. II.
De querela ſimplici & nullitatis. §. III.
Appellationum in noſtris terris uſus. §. IV.
Uſus querelæ ſimplicis & nullitatis. §. V.
Privilegium Civitatis Luneburgenſis. §. VI.
Cauſæ criminalis devolutio ad Tribunal ſupremum. §. VII. VIII.
Reviſio actorum criminalium. §. IX. X. XI.
De ſupplicatione & leuteratione. §. XII.
De Appellationibus a Judiciis provincialibus reſpectu Mulctarum. §. XIII.

§. I.

JUre civili *Romano* in cauſis criminalibus *appellari* poſſe non tantum a ſententia interlocutoria, verum etiam a definitiva, confirmat *L. 2. C. de App. recip.* Quod hodie in proceſſu

 quoque

quoque accuſatorio obtinere exiſtimat *Carpzovius Qv.* 139. *n.* 31.

§. II.

Sed in *Germania* quidem inveterata quadam conſuetudine aliud quodammodo conſtitutum eſt. Quem enim fugit, in cauſis criminalibus appellari non poſſe neque ab interlocutoria, neque a definitiva lata a Principibus & Statibus Imperii in ipſorum Cancellariis. Et id confirmat *Receſſ. Imp. Auguſt. de an.* 1530. §. Item **alſo iſt etliche Zeit her** *Ord. Cam. P.* 2. *tit.* 28. §. 5. Item **nachdem dem alten hergebrachten Gebrauch.** *Receſſ. Imp. Ratisbon. de an.* 1641. §. **Nachdem auf die** 64. Adde *Frid. Mindanum de Proc. Mand. L.* 1. *c.* 9. *n.* 3. *Ruland de Commiſſion. P.* 1. *L.* 2. *c.* 3. *ſeqv.*

§. III.

Sed hoc intelligendum eſt de appellatione ſolenni, & quæ proprie hoc nomine venit. Nam *querela ſimplici* & *nullitatis* criminales cauſas abductas a ſupremis Statuum judiciis perferri poſſe ad tribunalia Imperii ſuperiora, dixi, & quonam tunc procedatur modo, expoſui ſupra *Cap. IV.* §. *XXIII.* Add. *Mindanus* & *Rulandus* cit. loc. aliique. Noviſſimum exemplum ſententiæ criminalis infirmatæ, reſciſſique ex capite nullitatis proceſſus inquiſitorii in Conſilio Imperiali aulico ſuppeditat *Concluſorum Senatus Imp. aulici Tom. IV.* in cauſa Lottichiorum fratrum contra Epiſcopum Auguſtenſem *pag.* 698. Aliud quoque exemplum devolutæ ad hoc Conſilium cauſæ criminalis ex capite nullitatis præſcriptique modi procedendi extat in eorundem *Concluſorum T. V.* in cauſa ſubditorum Sulmonenſium Brunfelſiorum contra Comitem Sulmonenſem Brunfelſium *pag.* 973. *ſeqv.*

§. IV.

In *terris Electoralibus noſtris* permiſſas eſſe appellationes, quæ fiunt ad ſuperiora Judicia, ſeu Cancellarias ab Judicibus inferiori-

inferioribus tam Præfectis Regiis & Electoralibus, quam quorum eſt patrimonialis Jurisdictio, id ſub dubitationem facile vocabit nemo, poſſuntque hujus rei exempla, ſi opus ſit, afferri plura.

§. V.

Easdem cauſas criminales querela ſimplici & nullitatis eodem devolvi poſſe, id quoque dubitatione caret, & noviſſimum confirmat exemplum anni 1730. quo proceſſus univerſus inquiſitorius contra Annam Mariam Freytagiam ob imputatam infantis cædem ab Holzgrafio Rhetenſi pertractatus in Cancellaria Cellenſi ex capite nullitatis reſciſſus eſt.

§. VI.

Habet hoc *civitas Luneburgenſis* longo uſu & Statutis confirmato, ut in cauſis criminalibus ad Cancellarias Principis appellari nequeat. **Ober-Gerichts-Ordn. der Stadt Lüneburg** tit. 25. §. 4. verbis: **In peinlichen Sachen aber gehet von Alters her aus der Stadt keine** *Appellation.* Qui §. 4. typographi incuria in publicata iſta Ordinatione omiſſus eſt. Add. **Lüneb. Stadt-Recht** P. 1. tit. 28. §. **Wer aber von unſern.** Sed cum privilegium de non appellando Principum & Imperii Statuum in cauſis criminalibus querelam nullitatis non excludat, qua potius ejus generis cauſæ ad ſumma Imperii tribunalia devolvi poſſunt, privilegium quoque Civitatis Luneburgenſis limitandum merito eſt hoc modo, ut provocatio per querelam nullitatis excluſa illo non cenſeatur. Et ſic quoque nuper admodum ex capite nullitatis Cancellaria recepit cauſam inquiſitionis contra Concionatorem F. atque ad inquiſitionem ulteriorem & rectius formandam Commiſſarios quosdam denominavit.

§. VII.

Quod ad *Cancellarias* Regias & Electorales attinet, ab iis criminales cauſas ad *Tribunal ſupremum* Regium cognoſcendis

appellationibus conſtitutum non ſolum appellationis quodam modo, ſed & querela facta devolvi poſſe, demonſtravi ſupra ex *Ordinationis P. 2. tit. 1. & 2. Cap. IV. §. XXIV.* Ordinationis verba in eum ſe habent modum: Jn *criminalibus pœnam corporis afflictivam inferentibus* haben zwar *regulariter* keine *Appellationes* Statt. Nachdem jedoch ſolche in gewiſſen Fällen die Reichs-*Conſtitutiones* zulaſſen; ſo laſſen Wir es auch lediglich dabey bewenden. Damit aber durch eine ſolche *Provocation* die Sache nicht aufgehalten, oder in die Länge gezogen werde, ordnen Wir hiemit, daß, wenn ein Angeklagter oder *Inquiſit* alſo zu *appelli*ren, oder die *nullitates* zu *deduci*ren, gemeynet iſt, er ſolches innerhalb der gewöhnlichen Zeit der zehen Tage thun, und zugleich ſeine vermeynten *Gravamina* einbringen ſoll, da dann ſo fort die in der Sachen ergangene *acta* von dem *Judicio a quo in originali* abgefordert, und dieſelbe einem *Re-* und *Correferent*en zugeſtellet werden ſollen, welche die *Gravamina* mit denen *Actis* zu *conferi*ren und aufs fleißigſte zu erwegen haben. Sollte denn nicht ſo fort darauf ohnedem eine *Diæt* ſeyn, muß das Gericht förderlich zuſammen kommen, und der *Re-* und *Correferent* aus der Sache *referi*ren, ſo dann jeder des Gerichts ſeine Meynung darauf zu eröffnen hat, und da die *Gravamina* unerheblich befunden werden, ſollen ſie die *Appellation* alſo fort abweiſen, und die *Acta remitti*ren; da ſie aber erheblich befunden werden, ſelbige mittelſt Ablaſſung gehöriger *Mandatorum* und ebenmäßiger *remiſſion* der *Act*en an das *Judicium prioris inſtantiæ* darinnen ſelbigem vorzuſchreiben, wie es in der Sache zu *procedi*ren habe, abſtellen. Sollten jedennoch auch aus denen *actis* beym *Judicio a quo* dergleichen *paſſion*en, oder auch ſonſten bewegende Urſachen, warum bey ſolchem die Sache nicht zu laſſen, erhellen; So ſtehet, wenn zumahl das *Judicium* auf beſchehene Erinnerung die Beſchwerde nicht abſtellen würde, Unſerm Ober-

Ober *Appellation*-Gerichte frey, die *Acta* bey sich zu behalten, und den *Proceß* zu vollenführen.

§. VIII.

Quæ ex verbis iis notanda veniunt, hæc ſunt. *Primum* quidem intra decendium a die lati decreti gravatorialis appellationem vel querelam introducendam in Tribunali, & ſimul expoſitione gravaminum juſtificandam eſſe, confirmant verba: ſolches innerhalb der gewöhnlichen Zeit der Zehen Tage thun, und zugleich ſeine vermeynte *Gravamina* einbringen ſoll. *Alterum* illud eſt, ut eædem cauſæ devolutæ ad Tribunal per appellationem, vel querelam, celerrime in eo expediantur, adeo ut ſi ſolita quædam diæta tum non habeatur, extraordinarius collegii conventus inſtituendus ſit. Id enim præcipiunt verba: Sollte ſo dann nicht ſo fort darauf ohnedem eine *Diæt* ſeyn, muß das Gericht forderlich zuſammen kommen. *Deinde* examinatis gravaminibus & repertis *irrelevantibus*, ſeu nullius momenti, cauſam ſtatim ſimul cum Actis remittendam eſſe ad Judicium a quo, probant verba: Und da die *Gravamina* unerheblich befunden werden, ſollen ſie die *Appellation* alſo fort abweiſen, und die *Acta remitti*ren. *Præterea* pondere quoque ſuo non deſtitutis gravaminibus, penitus tamen cauſam ad ſe Tribunal recipere non poteſt, ſed nihiloſecius remittet ad Judicium a quo, ſed ita, ut, quo alio modo procedendum ſit, præſcribat mandato, vel reſcripto. Verba ea ſunt: mittelſt Ablaſſung gehöriger *mandatorum* und ebenmäßiger *remiſſion* der *Acten* an das *Judicium prioris inſtantiæ*, darinnen ſelbigem vorzuſchreiben, wie es in der Sachen zu *procedi*ren habe, abſtellen. *Poſtremum* & ſi prioris inſtantiæ judicium ſtudio ductum ſuſpectumve deprehendat ſupremum Tribunal, niſi Judex ejus rei admonitus a ſtudio diſcedere nolit, retinere hoc penes ſe cauſam non poteſt. Verba ſunt hæc: Wenn zumahl das *Judi-*

cium auf beschehene Erinnerung die Beschwerde nicht abstellen würde.

§. IX.

Revisionis quidem actorum in causis criminalibus beneficium locum non habere in Camera Imperiali, tradit *Bender de Revis. Act. Concl.* 33. *n.* 24. Sed fractæ pacis publicæ crimen excipitur. *Idem Concl.* 34.

§. X.

In foro nostro Regio eodemque Electorali aliud constitutum est *Ordinatione judicii Appellationum supra cit.* §. 2. Sollten auch Edelleute, oder die denen in den Reichs-*Constitution*en *æquipari*ret werden, als Räthe, und dergleichen vornehme Bediente, auch *gradui*rte Personen das Unglück haben, in *Criminal*-Verbrechen zu fallen, oder derentwegen angeklaget zu werden; So verstatten Wir selben hiemit, bey Unserm Ober-*Appellation*-Gericht *Revisionem* der bey Unsern *Justiz*-Canzleyen und andern Gerichten ergangenen *Act*en zu suchen, darauf denn so fort die *Acta* von den Canzleyen und andern Gerichten abgefordert, solche von dem *Præ-* oder *Vice-Præsiden*ten einem *Re-* und *Correferen*ten zu fleißiger Nachsehung zugestellet, und von selben bey nechster *Diæt*, oder wenn die so bald nicht seyn sollte, bey einer *extraordinai*ren Zusammenkunfft davon *referi*ret werden solle.

§. XI.

Ex verbis his adductis hæc notanda veniunt: *primum*, indulgeri hoc revisionis apud nos actorum beneficium non omnibus promiscue inquisitis, sed nobilibus tantum, & qui æquiparantur iis Consiliariis aliisque ministris honestiori loco positis, quorum cum his eadem est conditio, nec non illis, qui gradu honoris quodam academico insigniti sunt, probant verba: Sollten auch Edelleute, oder die denen in den Reichs-

Constitu-

*Constitution*en *æquipari*ret werden, als Räthe und dergleichen vornehme Bediente, auch *gradui*rte Personen das Unglück haben. Tum *altero loco* hoc eſt, ut in alio ſuperiori judicio nullo præter appellationum tribunal ſummum requiri reviſio poſſit. Sic enim Ordinatio ait: Bey unſerm Ober-*Appellation*-Gericht *reviſionem* zu ſuchen. *Poſtremum* illud eſt, requiri poſſe reviſionem ſententiarum criminalium latarum non ſolum a Cancellariis, ſed etiam a Judice quovis alio inferiore. Id produnt verba: der bey Unſern *Juſtiz*-Canzleyen und andern Gerichten ergangenen *Acten* ꝛc. ꝛc.

§. XII.

Sed non obtinet in foro noſtro neque *ſupplicatio*, neque *leuteratio*, cujus loco nova reo conceditur defenſio. Ita res deciſa eſt in cauſa inquiſitionis ob furtum contra Hankium quendam. Add. *Bender. de Reviſ. actor. cit. Concl.* 34. *n.* 31. In proceſſu tamen accuſatorio ordinario non omnino deeſſe horum remediorum uſum puto, nec hoc, quod de ſupplicatione dixi, intelligendum eſt de illa, qua quis veniam tantum ſibi dari, delictumque remitti orat. Neque enim hujus ſupplicationis quidquam cum appellatione eſt commune. *Bender. c. l.*

§. XIII.

Subjiciendum hoc loco eſt, num, & quæ jure noſtro appellationes de mulctis in *Judiciis provincialibus* dictatis permittantur. Et non permittuntur, niſi cum Præfecti jure quendam ſuo per hanc animadverſionem in judiciis iſtis factam privare vel ejusdem poſſeſſione exuere conantur, neque tum re expoſita corrigitur ſententia, vel cum ipſa quidem animadverſio conſiſtit, ſed cognitionem & mulctam tertius quidam ſibi vindicat. Quæ ita conſtituta ſunt Edicto Georgii I. d. 19. Oct. 1719. in eum modum: Als auch bisshero von denen auf den Land-Gerichten *dicti*rten Straffen zu *appelli*ren nicht verſtattet worden, es wäre denn, daß Unſere Aemter und Beamte *in-*

*tendi*ret

*tend*iret, einem *Tertio* durch Bestraffung auf den Land-Gerichten, sein Recht zu nehmen, oder aus der *Possession* seines Rechts und Gerechtigkeit zu setzen, und solches auf beschehene Vorstellung nicht geändert wird, oder daß zwar bey der Bestraffung an sich nichts zu erinnern, von einem *Tertio* aber die *Cognitio* und Straffen *prætend*iret worden; So ist Unser gnädigster Wille, daß es auch hierinnen bey obigem sein Verbleiben behalten, und ausser angeführten Fällen, von den *dict*irten Land-Gerichts-Straffen keine *Appellation* zugestanden werden solle.

CAPVT XXIII.

DE POENIS, SPECIATIM IIS, QVÆ IN TERRIS NOSTRIS VEL VSITATÆ SVNT VEL ABROGATÆ.

Poenæ ratio. §. *I.*
Pœnarum divisio. §. *II.*
Rotæ apud nos usus. §. *III.*
Fustigationis in aliam pœnam transfusio. §. *IV.*
Ad quod munimentum quis condemnandus. §. *V.*
De ergastulo. §. *VI.*
Cujus quis sumtibus in ergastulo alatur. §. *VII.*
De infante mulieris lactantis. §. *VIII.*
Ergastulo dimissorum urpheda. §. *IX.*
Pali infamantis usus. §. *X.*
Pali pœnalis & numellarum usus. §. *XI.*
De relegatione. §. *XII.*
Modus relegandi. §. *XIII.*
Carceris pœna. §. *XIV.*
Sumtus custodum. §. *XV.*
Pœna corbis. §. *XVI.*
Pœna rixosarum mulierum. §. *XVII.*

§. I.

Poena est vindicta delicti publica, quæ improborum causa æque in republica necessaria est ac præmia bonorum. Hi enim

enim oderunt peccare virtutis amore, mali contra, niſi formidine pœnæ a peſſimis facinoribus deterreri haud poſſunt. Omnino pœna remota quies reip. & ſecuritas conſervari nequit. Nam infligitur partim propterea, ut ſocietates civiles ab hominibus malis purgentur, partim ut flagitioſi cautius poſtea mercari diſcant, ſuosque mores corrigant, partim quoque ob eam cauſam, ut a perpetrandis ejusmodi facinoribus reliqui cives deterreantur. Qui delinquit, de pœna cum lege quaſi contrahit. Hoc enim, quod committit facinus lege prohibitum, vel quod omittit, quæ lex fieri jubet, tacite ſe ad pœnam obligat. *Grot. de J. B. & P. L. 2. C. 20. §. 2. n. 3.*

§. II.

Sed cujusvis delicti pœna aut expreſſe jam a lege definita eſt, aut judicis arbitrio definienda relinquitur. Hinc pœnarum diviſio bipartita eſt in *ordinarias* & *arbitrarias*. Sed pro qualitate quoque delictorum pœnæ ſunt aliæ *capitales*, aliæ *nec capitales* & *extraordinariæ*. Noſtrum non eſt, pœnarum hoc loco numerum inire easque recenſere ſingulas. Actum ſic jam a multis laborem ageremus. Nam quem fugit, ea jam expoſita deprehendi in eorum libris tantum non omnium, qui ad Ordinationem Carolinam criminalem & de criminibus commentati ſunt. Nos igitur inſtituta hac in re maxime Luneburgica ante oculos habentes, exponemus primum, quæ pœnarum genera in his regionibus noſtris vel uſu adhuc vigeant, vel abrogata ſint, tum quæ pœnæ legibus jam, inprimis provincialibus noſtris, definita ſint, poſtremum, quod ſit judicis arbitrium circa pœnas irrogandas.

§. III.

Quod quidem pertinet ad pœnas *capitales*, nihil hic ſingulare inſtituta noſtra habent, niſi quod pœna *rotæ* in terris noſtris uſitata non ſit, ſed ejus loco adhiberi *clavæ ferreæ* ſoleant, quibus, qui hoc ſupplicium meruerunt, contunduntur.

§. IV.

Pœnarum *nec capitalium* non ultima haberi ſolet *fuſtigatio.* At hæc in Electoratu noſtro per Edictum Georgii I. Regis glorioſiſſimæ memoriæ de d. 28. Dec. 1717. penitus eſt abolita, in ejusque locum condemnatio ad *operas publicas*, zum Feſtungs-Bau, vel ad *ergaſtulum* ſubrogata. Conſtitutionis hujus nunquam ſatis prædicandæ verba hæc ſunt: *GEORG REX.* Demnach die Erfahrung bishero ergeben, daß diejenige *Delinquen*ten, deren Verbrechen nach Anweiſung der Hals-Gerichts-Ordnung Kayſers *Caroli V.* auch ſonſten befundenen Umſtänden nach, die Straffe des Staupenſchlags und derſelben anklebende ewige Landes-Verweiſung verwircket, durch Vollſtreckung ſothaniger Straffe nicht allein zur Beſſerung ihres Verbrechens nicht gebracht, ſondern vielmehr veranlaſſet worden, an andern Orten, dahin ſie ſich nachhero begeben, wol annoch gröſſere und *enorm*ere Ubelthaten, als ſie vorhin begangen, nemlich Straſſen-Raub, Morden und dergleichen auszuüben, immaſſen ſie durch den erlittenen Staupenſchlag in den Stand geſetzet, daß ſie aller ehrlichen Handthierung, und davon ihren Lebens-Unterhalt zu erwerben, gantz ohnfähig seyn, dahero zu nichts anders, als zu obbemeldte *enorme crimina*, da ſie ihres Lebens Unterhalt haben wollen, zu greiffen ſich gleichſam genöthiget ſehen, da hingegen wenn ſie an ſtatt obbedeuteter Straffe des Staupenſchlags ad operas publicas, oder in ein Zuchthaus, und zwar beydes *in perpetuum condemni*ret werden, das *Publicum* nicht nur wieder alles üble, welches ſonſten von ihnen zu befürchten iſt, geſichert ſeyn kan, und die *Delinquen*ten mit der Zeit ehender zur Beſſerung gebracht werden können, als wenn der Staupenſchlag an ihnen *exerci*ret wird, ſondern es iſt auch ohnedem leicht zu ermeſſen, daß ſolche Strafe der *Condemnation ad operas publicas* oder des Zuchthauſes bey denen

denen Ubelgesinnten mehr Nachdruck haben werde, um sie von denen Ubelthaten abzuschrecken, als die Straffe des Staupenschlags, indem nach erlittener dieser Straffe sie dennoch die Freyheit behalten, anderwerts obbedeudeter massen übels zu thun. So verordnen Wir in Krafft unser hohen Landes-Fürstlichen Obrigkeit hiemit, daß in Unsern Landen die Straffe des Staupenschlags mit der anklebenden ewigen Landes-Verweisung fernerhin nicht erkannt, sondern an deren statt diejenige *Delinquent*en, welche durch ihr Verbrechen, denen Gesetzen nach, obbesetzte Straffe des Staupenschlags verwircket, *ad operas publicas*, oder zu dem Zuchthause, und zwar beydes *in perpetuum condemni*ret werden sollen. Wir befehlen demnach allen Obrigkeiten, *Magistrat*en und Gerichts-Inhabern in Unsern Fürstenthümern und Landen, denen die *Dijudicatur* über dergleichen Verbrechen, welche den Staupenschlag in denen Rechten mit sich führen, zustehet, hiemit ernstlich, daß dieselbe *respective* hinkünfftig sich nach dieser Verordnung *in judicando* achten, oder welche die Urthel nicht abfassen, sondern zu deren Einholung die *Acta* an auswärtige Rechts-Gelahrte verschicken, diese Unsere Ordnung zur Nachricht des *Referentis extranei* denen *Actis* mit beyfügen sollen. Daran rc. Geben Hannover den 28. Dec. 1717. vid. *Contin. Suppl.* der Landes-Ordn. *no. LIV. pag.* 229. Quoties igitur Constitutionibus nostris antea latis fustigationis pœna delictum quoddam vindicatur, toties hodie condemnatio ad perpetuas operas publicas, Hamelæ, Luneburgi, Nienburgi vel Harburgi obeundas (zum Festungs-Bau) vel ad ergastulum perpetuum decernitur, per *Rescripta* de *d.* 5. *Junii* 1719. & 16. *Junii* 1721.

§. V.

In ipsa condemnatione ad operas publicas hoc tenendum, esse delinquentem condemnandum semper ad *munimentum illud*,

 quod

quod inquiſitionis Judici maxime eſt propinquum, **zur nechſt-entlegenen Feſtung.** Nam ita reſcripſit Georgius I. *d.* 16. *Jun.* 1721. **daß dergleichen** *Delinquen***ten, welche** *ad operas publicas condemni***ret werden, nach** *Situation* **und Gelegenheit ihres Aufenthalts theils nach Nienburg, theils nach Haarburg** **rc. rc. verſandt werden ſollen.** Sed hoc ita, niſi delictum ſit atrocius & majorem coercitionem pœnamque exacerbandam requirat. Tunc enim condemnandus eſt inquiſitus ad munimentum Hamelenſe, ut nominatim reſcripſit Georgius I. Rex d. 24. *April.* 1724. verbis: **Geſtalt Wir denn ein vor allemahl verordnen, daß in dergleichen** *Delictis atrocioribus* **die** *Delinquen***ten nach Hameln** *condemni***ret werden ſollen.** Nec intereſt, utrum fuerit delinquens ſub lictorum manu, & tormentis, an minus, quin potius promiſcue omnes a præſidiariis munimenti recipiendi ſunt. Ita reſcripſit Georgius I. Rex: **Es iſt bishero der Gebrauch geweſen, daß diejenige** *Inquiſiti,* **die auf der** *Tortur,* **oder wie man zu reden pfleget, unter Büttels Händen geweſen, nicht zum Feſtungs-Bau, ſondern entweder ins Zucht-Haus** *condemni***ret, oder des Landes verwieſen worden. Nachdem aber ſolche Gewohnheit die böſen** *Suites* **hat, daß entweder ſolche Böſewichter durch die** *Relegation* **denen Benachbarten zugeſandt werden, und ihre** *criminelle* **Lebens-Art weiter fortzuſetzen, Gelegenheit erlangen, oder der Herrſchafft zur Laſt in denen Zuchthäuſern erhalten werden, So haben Wir gnädigſt** *reſolvi***ret, daß hinführo in** *dicti***rung der Straffen nicht darauf geſehen, ob die** *Delinquen***ten unter Büttels Händen geweſen, oder nicht, ſondern dieſelben** *indiſtincte* **nach Beſchaffenheit des** *delicti* **zum Feſtungs-Bau** *condemni***ret werden ſollen. Welches Ihr euch zur** *direction* **werdet dienen laſſen. Wir rc. Hannover den** 18. *Mart.* 1724. De cetero Cancellariis jam præceptum quoque eſt, inquirere ante, quam ſententia concipiatur, an inquiſito tantum facultatum ſit, ut inde veſtitus

neceſſarius

necessarius ipsi comparari possit, quod deinde cum de universa causa ad Regem referatur, simul proponendum sit. Id expressum est Rescripto Georgii II. Regis: *GEORG* der Ander rc. Unsere *Commissariats*-Bediente, welche die Verpflegung derer *ad operas condemni*rten *Inquisi*ten zu besorgen haben, sind bishero *necessiti*ret gewesen, weitläufftige *Correspondenz* zu führen, ob dieser oder jener Gefangener des Vermögens sey, sich selbst in Kleidung zu unterhalten, damit nun dieser *Inconvenienz* begegnet werde; So verordnen Wir hiemit und wollen, daß bey vorfallenden *Inquisitions-Processen*, da auf die Straffe des Karrenschiebens *reflecti*ret werden möchte, vorhero und ehe die Urthel abgefasset wird, untersuchet, und in denen an Uns zu erstattenden Berichten angeführet werden solle; Ob der *Inquisit* des Vermögens sey, ihme selber die nöthige Kleidung zu verschaffen, massen wegen des sonstigen Lebens-Unterhalts es bey dem bisherigen gelassen wird. Wir seyn Euch mit geneigt- und gdstn. Willen beygethan. Hannover den 27. *Junii* 1731.

ad mandatum spec.

Hardenberg. Münchhausen.

An die *Justiz*-Cantzley
zu Zelle.

§. VI.

Sequioris plerumque sexus delinquentium receptaculum, *ergastulum* Cellis Luneburgicis exstructum est, ad quod ædificandum Status utriusque Ducatus tam Cellensis, quam Calenbergensis sumtus suppeditaverunt.

§. VII.

Delinquentes in ergastulo *sustentantur* sumtibus ejus judicis, cujus est in inquisitum jurisdictio criminalis. Sic rescripsit Camera Regia generaliter: Unsere ꝛc. Es ist bekannt, was massen zu Bestraffung einiger *Delinquen*ten das neue Zucht- und Werck-Haus zu Zelle angeordnet worden. Nun erfodert die Unterhaltung der darinn *condemni*rten Personen einige Kosten, welche, ob und wie weit sie auf Königl. Cammer ankommen, eine genaue Untersuchung erheischen. Solche bey einem jeden *casu* besonders aufzugeben, würde zu unnöthiger Weitläufftigkeit und Aufenthalt Anlaß geben. Dannenhero zu verordnen beliebet worden:

1.

So bald jemand, es sey in was für Fällen es wolle, in *Inquisition* geräth, so ist gründlich zu untersuchen, „ob einem Adelichen oder anderm Gerichte die hohe Gerichtsbarkeit oder „*criminal-Jurisdiction* über denselben zustehe? Allermassen solchenfalls die Unterhaltungs-Kosten im Zucht- oder Werckhause, falls er damit bestraffet werden sollte, auf Königl. Cammer nicht ankommen, folglich bey Einsendung der *Inquisitions-Act*en an Königl. und Churfl. *Justiz*-Cantzley zu Zelle gehörig zu berichten ist. Dafern aber

2.

„der *delinquent notorie* ein würcklicher Amts-Unterthan wäre, „und Ihro Königl. Maj. U. A. H. *ratione* Dero Aemter und „Vogteyen die hohe Gerichtsbarkeit über den *inquisitum immediate* zustünde, So dann ist sorgfältig zu *examini*ren, ob und wie weit dessen Vermögen zu denen allenfalls nöthigen Unterhaltungs-Kosten im Zucht- oder Werck-Hause hinreichig sey, oder nicht? einfolglich diese gantz oder zum Theil auf Königl. und Churfl. Cammer ankommen? Was

3. bey

3.

bey sothaner Untersuchung sich eräuget, solches ist in einem absonderlichen Neben-Berichte oder *Postscripto* zu verfassen, und nebst den *Inquisitions-Acten* jedesmahls Königl. und Churfl. *Justiz*-Canzley gebührend einzusenden, damit wegen offt ernannter Unterhaltungs-Kosten die fernere Nothdurfft veranlasset werden könne. Wir versehen uns dessen, und seyn. Hannover den 15. *Mart.* 1723.

§. VIII.

Si includenda est ergastulo mulier lactans, infans alendus est sumtibus ejus Judicis, ad quem spectat sustentatio in ergastulo matris, secundum *Edicta* de d. 11. *Mart.* 1727. & 20. Dec. 1728. Verordnen, daß wenn dergleichen *Delinquentin*nen, die kleine oder saugende Kinder haben, ins Zuchthaus *condemni*ret werden, die Obrigkeit eines jeden Orts vor deren Absendung Sorge tragen solle, daß solche Kinder bey guten Leuten gegen Erlegung des gewöhnlichen Kost-Geldes, welches aus demjenigen *ærario*, das die *Sustentation* der Mutter bezahlet, genommen werden soll, untergebracht werde.

§. IX.

Qui ad tempus ergastulo inclusi sunt, vel veniam consecuti, cum eodem dimittentur, urphedam coram Præfecto Cellensi seu Burgvogtejo præstare debent. Nam in eum modum rescripsit Rex d. 18. *Febr.* 1728.

§. X.

Pali pœna *infamantis*, der Schand-Pfal, in Electoratu nostro eadem ratione abrogata est, & in ejus locum condemnatio ad operas publicas temporaria substituta, Edicto, quod hic subjicimus: P. S. Weil es auch mit dem so genannten Schand-Pfal auf gewisse masse eine gleiche Bewandniß, als mit dem Staupenschlage hat, daß nemlich die *Delinquen*ten, an welchen die Straffe des Schand-Pfals vollenstrecket wird,

dadurch

dadurch zu allen ehrlichen Handthierungen, um damit ihren Lebens-Unterhalt zu erwerben, ohnfähig gemacht werden; So verordnen Krafft dieses Wir auch hiemit, daß solche Strafe des Schand-Pfals fernerhin in unsern Landen gleichfals nicht erkannt, sondern an deren statt diejenige *Delinquenten*, welche ihrer begangenen Verbrechen halber die Straffe des Schand-Pfals denen gemeinen Rechten nach verdienet haben, dem Befinden nach auf eine nach *proportion* des Verbrechens zu *determini*rende Zeit *condemni*ret und vertheilet werden sollen. Hannover den 28. *Dec.* 1717. Vid. *Cont. Suppl.* der Landes-Ordn. *pag.* 230.

§. XI.

Sed a palo infamante differt *pœnalis*, **der Strafpfal**, qui citra famæ diminutionem in delictis levioribus, castigationis tantum causa adhibetur. Et hujus usus servatus mansit, quod liquet ex appendice Constitutioni jam memoratæ adjecto. Verba, quæ huc pertinent, ea sunt: **Was aber den so genannten Strafpfal betrifft, bleibet derselbe nach wie vor nicht allein beybehalten, sondern es soll auch derselbe an denen Orten, da dergleichen bishero nicht im Gebrauch gewesen, hinkünfftig angeordnet werden.** Pariter & *numellarum* pœna, **das Hals-Eisen**, adhuc apud nos usurpatur.

§. XII.

Quod ad *relegationis* pœnam pertinet, conventum est inter Serenissimos Duces Brunsuicenses & Luneburgenses utriusque stirpis, tum Electoralis, tum Ducalis, ut cui alterius terris & imperio interdicatur, ei quoque interdictum sit alterius terris. Cujus generis conventionem aliquot abhinc annis initam quoque esse inter Episcopatus Osnabrugensem, Monasteriensem & Paderbornensem, id ex literis quibusdam Cancellariæ Osnabrugensis ad Cellensem accepi.

§. XIII.

§. XIII.

Olim in Præfectura Cellensi, quam Burgvogtejam vocant, usurpatum fuit, ut relegandi tantum ad portas usque urbis deducerentur, & terris postea atque imperio sponte excedere juberentur. Sed jam *relegandi* alius *modus* definitus est, ut nimirum tradantur relegandi Præfecto vicino, qui eos rursus sibi vicino tradat, donec ad fines nostrarum provinciarum sint deducti. Edictum Regium plenarium hoc est: Wir vernehmen, was massen bishero zu Zelle die Gewohnheit gewesen, daß, wenn jemand entweder *mediante fustigatione*, oder auch ohne solche des Landes verwiesen, selbiger *præstita urpheda* nur bis vor das Thor gebracht, und daselbst ohne ihnen jemanden von wegen des Gerichts beyzugeben, weiter fortzugehen, bedeutet worden. Wann nun dieses eine üble Folge nach sich ziehen kan, indem ein solcher *delinquente* dadurch im Lande heimlich zu bleiben, und sich zu verstecken, auch der abgeleisteten Urphede ohngehindert dem *denuntianten* durch Ansteckung seines Hauses, oder auf eine andere Ahrt einen Schaden, davon andere benachbarte zugleich mit Theil nehmen können, zuzufügen, und sonsten allerhand Unheil anzurichten, Gelegenheit findet; Und Wir daher um solchen vorzubauen, verordnet, daß auf die Ahrt, wie es in Unserm Fürstenthum Calenberg und anderer Orten üblich, bevor solche *Executiones* vorgenommen werden, von Unserer Zellischen *Justiz*-Cantzley den zunechst belegenen Beamten zu befehligen, einen solchen abgestraften Ubelthäter an dem Orte, wo die dasige Burgvogtey und deren *Jurisdiction* sich endiget, durch gewisse darzu beorderte Ausschuß-Knechte annehmen, und solchergestalt von einem Amte oder Gericht zum andern bis auf die Gräntze des Landes fortbringen zu lassen; So ist unser allergnädigster Wille, daß man bey Unserer Burgvogtey sich darnach gebührend achten solle. Geben Hannover den 20. *Nov.* 1714. Sed

cum postea eundem in aliis quoque præfecturis abusum obtinere, compertum esset, rescripto generali novus hic relegandi modus omnibus Præfectis est injunctus, quod videre est in *Cont. Suppl.* **der Landes-Ordn.** *No.* LIII. *pag.* 227.

§. XIV.

Carceris quoque pœna interdum ita exacerbatur, ut per dimidium ejus tempus præter panem simplicem & aquam nihil eo inclusis porrigatur, **mit Gefängniß halb bey Wasser und Brodt.**

§. XV.

De *mercede*, quæ danda est *custodibus* pro delinquente carceri includendo generale extat Rescriptum Cameræ de 3. Sept. 1706. in *Cont. Suppl.* **der Landes-Ordn.** *pag.* 222.

§. XVI.

Corbis pœna manet eos, qui ex hortis quædam auferunt. Consistit hæc in eo, ut corbi ex ligno confectæ inclusi fures aqua per breve quoddam temporis spatium mergantur, sed moderate tamen, ne suffocentur.

§. XVII.

Uxorum quoque *militum rixosarum* pœna quædam singularis constituta est, quod instrumentum quoddam in foro civitatis nostræ ligneum est, quo mulierum istarum caput manusque includuntur. In cujus instrumenti fronte depictæ sunt feles duæ se invicem mordentes, emblema mulierum rixosarum.

CAPVT XXIV.

DE POENIS LEGVM PROVINCIALIVM DELICTIS QVIBVSDAM IMPOSITIS.

Tractationis institutum. §. I. II.
Execrationum pœna. §. III.
Pœna imprecationum. §. IV.
Magiæ coercitio. §. V. VI.
Superstitiosas artes exercentium castigatio. §. VII.
Mortuorum inspectionis superstitiosæ pœna. §. VIII.
Perjurii animadversio. §. IX.
Sabbati profanati ultio. §. X.
Pœna impiorum filiorum. §. XI.
Diffidationis pœna. §. XII.
Apprehensi homicidæ per convitium objectionis pœna. §. XIII.
Veneficii supplicium. §. XIV.
Vis publicæ & privatæ ultio. §. XV.
Castigatio ejus, qui homicidæ præbuit occasionem evadendi. §. XVI.
Adulterii duplicati coercitio. §. XVII.
Adulterii simplicis. §. XVIII.
Sponsam alterius vitiantis pœna. §. XIX.
Animadversio stupri simplicis. §. XX. XXI.
Stupri iterum commissi. §. XXII.
Pœna concubinatus. §. XXIII.
Species quædam stuprorum acrius vindicatæ. §. XXIV.
Lenociniorum pœna. §. XXV.
Ultio bigamiæ. §. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.
Incestus. §. XXXI.
Extra terras copulatorum pœna. §. XXXII.
Conviviorum nuptialium nimis prolatorum pœna. §. XXXIII. XXXIV.
Castigatio strenas emendicantium. §. XXXV.
Ebriosorum & rusticorum in aliorum sanitatem bibentium. §. XXXVI.
Ebrietas an extenuet crimen. §. XXXVII.
Coercitio conviviorum pro emendicandis fenestris novis institutorum. §. XXXVIII.
Furti pœna. §. XXXIX.

Animadversio furti domestici. §. *XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV.*

Abigeatus supplicium. §. *XLVI. XLVII. XLVIII.*

Castigatio furum ferarum. §. *XLIX. L.*

Furantium in incendio, vel depositum miserabile negantium supplicium. §. *LI.*

Pœna residui. §. *LII.*

Fructuum ablatorum ex hortis vel agris. §. *LIII.*

Incendiariorum dolosorum supplicium. §. *LIV.*

Pœna famulorum incendium sua culpa excitantium. §. *LV.*

De incendio silvarum & eryceto-rum. §. *LVI.*

Ejus auctoris castigatio. §. *LVII.*

Pœna consciorum facinoris, vel auxilium promtum non ferentium. §. *LVIII.*

Subditorum in hoc genere officium. §. *LIX.*

Decoctorum pœna. §. *LX.*

Processus contra eos. §. *LXI.*

Pœna fraudantium creditores, vel bona occultantium. §. *LXII.*

Alia quædam fraudationis species. §. *LXIII.*

Pœna colludentium cum decoctoribus. §. *LXIV.*

Eorum, qui culpa fiunt non solvendo. §. *LXV.*

Uxorum decoctorum. §. *LXVI.*

Donata uxoribus a decoctoribus irrita habenda. §. *LXVII.*

Ejus ratio. §. *LXVIII.*

Pœna nautarum & aurigarum merces fraudantium. §. *LXIX.*

Emtorum harum mercium. §. *LXX.*

Defraudati vectigalis pœna. §. *LXXI.*

De frumento vendendo aqua adsperso. §. *LXXII.*

Castigatio lanionum distendentium renes lumbosve pecudis. §. *LXXIII.*

Ultio lanæ corruptæ. §. *LXXIV.*

Coercitio mendicantium extraneorum. §. *LXXV.*

Mendicantium Judæorum extraneorum. §. *LXXVI.*

Zingurorum deprehensorum. §. *LXXVII.*

Dardanariorum. §. *LXXVIII.*

Resistentium visitatoribus publicis. §. *LXXIX.*

Pœna usurariæ pravitatis. § *LXXX. LXXXI.*

Decimarum defraudationis. §. *LXXXII.*

Aggeres

Aggeres Albis corrumpentium. §. LXXXIII.
De ludis fortunæ. §. LXXXIV.
De ollis fortunæ. §. LXXXV.
Transitio ad civitatem Luneburgum §. LXXXVI.
Pœna blasphemantium. §. LXXXVII.
Profanantium dies dominicas vel festos. §. LXXXVIII.
Parricidarum vel manus parentibus inferentium. §. LXXXIX.
Seditionem excitantium & relegatorum reversorum ultro, vel eos recipientium pœna. §. XC.
De gladios stringentibus, homicidis, & quæ plura huc pertinent. §. XCI.
De vulneribus & injuriis. §. XCII.
De muros transilientibus & dominum ædium vel ejus familiam vulnerantibus & qui sclopeta in urbe explodunt. §. XCIII.
Injuriæ variæ. §. XCIV.
De pugna singulari. §. XCV.
Pœna adulteriorum. §. XCVI.
Stuprorum. §. XCVII.
De raptu, abortu & poculo amatorio. §. XCVIII.
Meretrices & proxenetæ. §. XCIX.
Incestus. §. C.
Stupri violenti & conjugum variæ pœnæ. §. CI.
De bigamia. §. CII.
De furibus, sacrilegis & horum similibus. §. CIII. CIV.
De ludo fortunæ & negato deposito. §. CV.
Monetam corrumpentium pœna. §. CVI.
De perjurio. §. CVII.
De pondere & moneta. §. CVIII.
Conclusio. §. CIX.

§. I.

DEinceps, ut erat propositum, de pœnis, quas leges provinciales nostræ Luneburgenses delictis quibusdam imposuerunt, dicendum est. Atque eas quidem, quas infligit vel jus civile, vel Ordinatio Carolina, persecuturi non sumus, quod jam omnes doctorum in eo genere libri illarum sunt pleni. Add. *Carpz. Pr. Crim.* & *Brunn. Proc. Inquis. C.* 9. quos hic provocamus.

§. II.

Potius quæ jure noſtro Luneburgico ſpeciatim de pœnis delictorum conſtituta ſunt, paucis perſequamur.

§. III.

Qui *diras ſibi imprecatur*, is quarta parte Imperialis, pro re nata carcere quoque mulctatur. *Ord. Polit. Luneb. Cap.* 4. §. 2. und der Ubertreter mit Gefängniß, Geld-Buſſe, als zum wenigſtens eines Orts-Thalers, oder nach Gelegenheit ſeiner Verwirckung noch ernſtlicher geſtrafet werden.

§. IV.

Qui *aliis diras imprecatur* (wenn einer dem andern den Teufel in den Leib hinein wünſchet) eadem ratione mulctatur. *Ord. Polit. eod.* §. 3.

§. V.

Magiæ crimen cum *pacto Satanico* conjunctum, igne expiatur. Qui extra hoc pactum magiam exercent, quo pertinent ii quoque, qui cryſtalla inſpicienda aliis dant (welche die Leute in Cryſtallen ſehen laſſen) coercentur pro re nata vel carcere, vel relegatione, vel etiam fuſtibus cæduntur, modo nemini magia damnum ſua intulerint. *Ord. Polit. c. l.*

§. VI.

Qui *artibus magicis* aliorum pecus damno afficit, *fuſtibus* cæſus perpetuo relegatur, niſi damnum ſit quinque ſolidorum, ſic enim furum pœna plectendus. *Ord. Polit. c. l.* §. 5. verbis: ſo ſollen diejenigen, welche nur das Vieh beſchädiget, ſo fern ſich ſonſten die Thäter dem Teufel nicht ergeben, mit Staupenſchlägen und ewiger Verweiſung beleget werden. Es wäre denn die Verbrechung und der Schade dermaſſen groß, daß der *Delinquent* deßwegen als ein Dieb am Leben zu ſtraffen, auf welchen Fall der Thäter nach Raht unſer zum Peinlichen Gericht verordneter am Leben zu ſtraffen.

§. VII.

§. VII.

Qui exercent artes *superstitiosas* (**segnen böthen**) item augures, quantumvis eorum intentio haud quidem prava sit, nec alter damnum acceperit, nihilominus carcere mulctantur, verbi postea divini præconibus committendi, ut ab his ex sacris oraculis meliora edoceantur. *Ord. Polit. cit.* §. 5. Sed qui in alterius contumeliam augurium cecinit, ejus pœna usque ad relegationem augeri potest. *Ord. Polit. cit. loc.*

§. VIII.

Huc pertinet inspectio cadaverum superstitiosa, **die Abergläubische Besehung der Todten**, usitata Venedis in Comitatu Dannenbergensi, qua interdictum ipsis est, pœna decem florenorum Lubecensium statuta per Edictum Georgii Wilhelmi Ducis de d. 15. Februar. 1682. in *Suppl. Const. provinc. No. III. pag.* 6.

§. IX.

Qui scientes & prudentes ex animi quadam destinatione *perjurium* committunt, fustibus cæsi vel digitis privati perpetuo relegantur. *Ord. Pol. C.* 5. Sed hoc intelligendum est de iis tantum, qui juramenti solennis in judicio præstiti (**zierlichen Eyd**) vel urphedæ fidem frangunt. *Ord. Crim. art.* 107. *&* 108. *Carpz. Qv.* 46. *n.* 52. *&* 56. Neque etiam hoc ad eam speciem proferendum est, si quis ex petulantia & minus considerato animi consilio pejerat, *Ord. Polit. c. l.* Quanquam & digitorum amputatio apud nos hodie non obtinet, sed qui urphedam frangunt primum, denuo relegantur, si iterum, vel ad operas publicas condemnantur, vel ad ergastulum. Quin & iis, qui præstitum Juramentum solenne frangunt, solummodo priores articuli trium digitorum abscinduntur.

§. X.

De *sabbato* non profanando cavet in terris Calenbergicis *Constitutio Sabbatina An.* 1710. *Vol. Constit. Hannoveranarum No.*

No. 92. in terris Cellenſibus *Conſtitutio Sabbatina d.* 8. *Febr.* 1708. in *Cont. Suppl. Conſt. provinc. pag.* 51.

§. XI.

Qui *maledicunt parentibus*, vel iisdem *manus* impias *inferunt*, arbitrarie e re nata carcere puniuntur, vel etiam ad operas publicas in tempus obeundas condemnantur, quod variis exemplis ita judicatum eſſe, comprobari poteſt, quippe ſeveram quoque hujus delicti coercitionem præcipit. *Ord. Polit. C.* 6. §. 12.

§. XII.

Diffidationis crimen, quamvis minæ tantum interceſſerint, nec conſummatum facinus ſit, capitis pœna vindicari jubet *Ordinatio Politiæ Cap.* 6. §. 14. Quæ pœna in eos quoque ſtatuta eſt, qui receptaculum diffidantibus præbent. *Ibid.* §. 15.

§. XIII.

Homicidio commiſſo ſubditorum quisque *homicidam comprehendere* & Magiſtratui ad juſtam pœnam ſuſtinendam exhibere obſtringitur. Qui igitur apprehendenti hoc, quod fecit, conviciandi animo *objecit*, ad mulctam XX. Thalerorum fiſco exſolvendam obligatur. *Ord. Polit. C.* 7. §. 3.

§. XIV.

Omnino *veneficium* ultimo ſupplicio vindicatur, non modo *Ordinat. Crim. art.* 130. ſed etiam *Ordinationis noſtræ politicæ Cap.* 4. §. 4. verbis: **oder mit Gifft den Menſchen umbringen.** Quæ pœna locum quoque habebit, quamvis ex propinato veneno mors inſecuta non ſit, dummodo corpori alterius grave damnum ſit illatum, quemadmodum explanavit articulum 130 Ordinationis Criminalis Cancellaria Cellenſis in cauſa inquiſitionis contra Schneemanni cujusdam uxorem, quæ venenum malum marito ſuo quater, ſeparatis temporibus, propinaverat,

naverat, quo is eo redactus esset, ut contractis artubus & perpetuo ei morbo misere laborandum esset. Add. *Carpz. Qv.* 17. *n.* 21. 25. 28. *Kress.* in *Notis ad Ord. Crim. art.* 130. §. 4. *Ludovici ad eundem art.*

§. XV.

Fractæ pacis publicæ crimen, & *vim privatam* (Haus-Friede-Bruch) secundum ea, quæ jus commune & Ordinatio Criminalis præcipiunt, coerceri jubet *Ord. Polit. Cap.* 6. §. *ult.*

§. XVI.

Qui *homicidæ evadendi occasionem* & subsidia *præbent*, pro conditione personarum & bonorum pœna vel pecuniaria, vel carceris, vel relegationis afficiuntur. *Ord. Polit. Cap.* 7. §. 2. Quam pœnam tamen proferre nolim ad parentes, conjuges & liberos, si occasionem evadendi præbeant filio, vel conjugi, vel patri.

§. XVII.

Adulterium duplicatum ultimo supplicio tam adulteri, quam adulteræ coercetur. Conjuge tamen innocenti intercedente, supplicium remittitur ei, pro quo intercessum est, & jam perpetuo relegatur, quem conjux quoque innocens extra imperium sequi debet. *Ord. Polit. Cap.* 6. §. 2. & 3. Quibus consentanea est secundum pœnam, nisi quod conjugis innocentis preces non recipiat, *Constitutio Henrici Julii Ducis d.* 3. *Januar.* 1593. in terris Calenbergicis & Guelpherbytanis promulgata. Vid. *Vol. Ordinationum Judicialium Luneburgensium pag.* 911.

§. XVIII.

Sed *adulterii simplicis* hæc pœna est, ut conjux fustibus cæsus relegetur, solutus itidem, nisi quod fustibus non cædatur. Quod si & hic pro conjuge adultero adulterave deprecetur pars innoxia, decernenda est pœna carceris, vel pecuniaria, & præterea pœnitentiæ signa publice ei in ecclesia de-

claranda sunt. *Ord. Polit. c. l.* §. 4. Ac constitutio quidem jam dicta Henrici Julii Ducis An. 1593. eandem in adulterium simplex fustium pœnam statuit, sed in altera specie cum conjux innoxia conjugis nocentis pœnam deprecatur, pœnam pecuniariam tantum dictat. Quæ constitutio eos quoque, qui hoc crimen iterum committunt, sine ulla distinctione fustibus cædendos & perpetuo relegandos censet.

§. XIX.

Eodem modo plectitur is, qui *alienam sponsam* prudens sciensque vitiavit, ut, qui stupravit, si ipsi uxor sit, fustibus cædatur, sin vero solutus sit, simul cum sponsa aliena stuprata relegetur. *Ord. Polit. cit. tit.* §. 5.

§. XX.

Simplex quidem *stuprum* XX florenis Lubecensibus in stuprante, sed in stuprata decem coercetur. Quam mulctam qui solvere nequeunt ære, carceri per octo dierum spatium tradantur, pane & aqua nutriendi. *Ord. Polit. Cap.* 6. §. 6. Sed in Ducatu Cellensi hodie ista mulcta temperata est & restricta ad X. Thaleros in stuprante, & in stuprata V. per *Const. Georgii Wilhelmi Ducis d.* 29. *Junii* 1688. *Vol. Ord. Polit. pag.* 986. Quæ quidem mulcta pertinet ad judicem ejus loci, in quo partus est in lucem editus, **wo das Kind die Welt beschreyet,** per *Rescriptum Regiminis Electoralis d.* 30. *Januar.* 1710. *in Supplemento Constit. Provinc. pag.* 40.

§. XXI.

Illud quoque dicendum est hoc loco, non servari in Ducatu Cellensi formulam vulgarem, *a stuprante aut ducendam stupratam esse, aut dotandam,* adeo ut hæc nec ob eam rationem, quod deflorata sit, dotem requirere possit, omnino tamen in Ducatu Calenbergico. Affer huc, quæ dixi infra §. XCVII. de institutis civitatis Luneburgensis.

§. XXII.

§. XXII.

Stupri *iterum commissi* pœna in ſtuprante eſt IV. hebdomadum carcer, in ſtuprata XIV. dierum, *Ord. Polit. c. l.* §. 8. ſed *tertium commissi* pœna eſt relegatio. *Ord. Polit. c. l.* §. 8. Sed hæc, ſi res & circumſtantiæ id ſuadeant, ſæpius mitigatur, eique carcer ſubſtituitur, quod fit, cum infantes relegandæ parvuli ſunt, & verendum eſt, ne deſperatione quadam adducta manus ſuas eorum ſanguine inficiat.

§. XXIII.

Concubinatus quidem arbitrarie coercetur natique ex concubinis vel extra torum legitimum, quamvis poſtea per ſubſequens matrimonium legitimentur, (**Mantel-Kinder**) in terris Brunſvicenſibus & Luneburgenſibus inhabiles ad ſucceſſionem in feudis ſunt, ſecundum conſtitutionem *Henrici Julii Ducis d. 3. Jan.* 1593. *Vol. Ordin. Judicial. in app. pag.* 911. *ſeq.*

§. XXIV.

Hæc ipſa quoque conſtitutio mulctam ſtupri ordinariam exacerbari præcipit, ſi quis cum *ancilla* vel *ſua*, vel *patris*, vel *heri* rem habuit eamque vitiavit. Quod repetitum quoque eſt *Ordin. Polit. Cap.* 6. §. 10. **Wie denn auch diejenigen, ſo in ihrer Herren oder Frauen Häuſern Unzucht treiben, und alſo ihr eigen Brod ſchänden, härter, als obſtehet, und zwar zum allerwenigſten mit vier Wöchiger ſchweren Gefängniß, unnachläßig geſtraffet werden ſollen.** Sed &, qui ſtuprum *plu-ries* commiſerunt, nec mulcta pecuniaria ad vitam caſtius & honeſtius ducendam adduci potuerunt, removeri poſſunt a munere & dignitate, vel exponi publice ad palum, vel relegari, vel gravius etiam plecti, quod præcipit dicta Conſtitutio Henrici Julii. Quæ ſcortationem quoque in *cœnobiis*, vel in *æde ſacra*, vel in *habitationibus Principis*, aut quæ loca eo pertinent, commiſſas ob graviſſimum quod inde naſcitur offendiculum, ſummo ſupplicio coercet, in ædificiis aliis, quæ ad

patrimonium Principis ſpectant, veluti in ædibus Cancellariarum, ſtabulis, pharmacopoliis, molis, item ædificiis, in quibus cereviſia coquitur, vel panis, & prædiis villisque ruſticis (Vorwerckern und Meyereyen) ſcortantes fuſtibus cædi & perpetuo relegari, pro ſeculi iſtius ſeveritate jubet.

§. XXV.

Lenones, qui lupanaria inſtituunt, L. Imperialibus mulctantur. *Ord. Polit. C.* 8. §. 8. Sed conſtitutio jam ſæpius dicta Henrici Julii lenones hos & proxenetas, (Huren-Wirthe und Kupplers) prout res exigit, vel carceri includendos, vel ad palum exponendos, vel in tempus relegandos jubet, adeo ut ſi inde morum emendatio non fiat, fuſtibus demum cædendi & perpetuo relegandi ſint.

§. XXVI.

Quod ad *bigamiæ* crimen attinet, ſunt plerique in ea opinione, ut ex Conſtitutionis criminalis articulo 121. ultimum ſupplicium dictandum exiſtiment, adeo ut vulgo nec conjugis prioris immerentis deprecationi locus relinquatur. Quæ quidem ſententia rationem non habet. Nam etſi verum illud eſt, in dicto articulo 121. bigamiæ non leviorem pœnam imponi, quam adulterio, inde tamen hoc non ſequitur, ſupplicium bigamis ultimum dictitaſſe Imperatorem ſine diſtinctione ulla, ſed ſententia potius Caroli hæc fuit, ut non mitior bigamiæ eſſet, quam adulterii pœna, **daß die nicht weniger, denn die Ehebrüchigen, peinlich geſtraffet werden ſollen.** Unde ſi bigamia cum adulterio duplicato ſit conjuncta, omnino decernendum ultimum ſupplicium, quod & in adulterio duplicato decernitur. Sed idem vero in altera quoque ſpecie dictandum eſſe, ſi cum adulterio ſimplici modo conjuncta eſt bigamia, id quidem ex dicto articulo probari nequit. Nec ad rem pertinet, quod eodem articulo adulterio gravius delictum dicatur bigamia: **Welche denn auch ein Ehebruch, und gröſſer, denn daſſelbige**

dasselbige Laster. Nam inde quidem id ſequitur, eſſe adulterii ſimplicis pœnam quodammodo exacerbandam in bigamo, non vero, ſupplicio eum ſummo afficiendum eſſe.

§. XXVII.

Sed inprimis de illa ſpecie, cum conjux immerens interceſſit, contraria ſententia placuit Regi Electorique noſtro Sereniſſimo ejusque conſilio ſanctiori &, quod conjux prior innoxia hoc deprecaretur, capitis pœna bigamo cuidam dictitata in dationem ad operas publicas in biennium converſa fuit in cauſa Inquiſitionis ob bigamiam contra Klugium quendam ex præfectura Meinerſen.

§. XXVIII.

Sane exploratum illud eſt, Conſtitutionis Carolinæ rationem poſitam eſſe in iſta Pontificiorum ſententia, matrimonium eſſe ſacramentum. Quæ cum a Proteſtantibus jam dudum, & recte quidem, ſit rejecta, ſequitur ut & concluſiones hinc ductæ rejiciendæ ſint. Add. *Kreſſ. ad Conſt. Crim. art.* 121. *Dn. de Berger in Elect. Crimin. pag.* 196. *Dn. Gribnerus Tom. Opuſc. juris privati Sect. IV. per tot.*

§. XXIX.

Illud negari non poteſt, impoſuiſſe bigamis promiſcue pœnam capitis Henricum Julium Ducem in Conſtitutione An. 1593. ſupra memorata, verbis: jedoch in alle Wege am Leben. Bigamos quoque ejus generis, quo ſimplex modo adulterium interveniſſet, ad ſupplicium aliquoties damnatos probant *Relationes Criminales* editæ ab *H. W. v. L. Caſu* 17. *&* 24. Sed dubitationis penitus tollendæ gratia Rex noſter isque Elector hodie imperans potentiſſimus Cancellariis reſcripſit d. 14. Nov. 1729. ut in crimine bigamiæ abſtinerent in poſterum a capitis pœna dictanda. Verba reſcripti hæc ſunt: Demnach Wir vernehmen, daß in Unſern Teutſchen Canzeleyen wegen Beſtraffung des *Criminis Bigamiæ* zuweilen verſchiedene Meynungen

nungen sich herfür gethan, indem einige *Membra* derselben *ad pœnam mortis*, andere *ad pœnam arbitrariam* votiret haben; Und Wir dann darunter etwas gewisses zu *statuiren* für nützlich gefunden; So verordnen Wir hierdurch und wollen, daß hinkünfftig *in crimine bigamiæ* auf keine Todes-Straffe weiter *reflectiret* werden solle, sondern Wir lassen Eurem *Collegialischen* Ermessen über, eine *pœnam corporis afflictivam* nach Befindung der Umstände entweder *ad certum tempus*, oder *ad dies vitæ* zu *dictiren*. Hannover den 14. *Nov.* 1729.

§. XXX.

Sed existit hoc loco alia quæstio, num Constitutio hæc nova ad speciem bigamiæ cum duplicato quoque adulterio conjunctæ pertineat. Et magis est, ut non pertineat. Neque enim capitis pœna in adulterio duplicato irroganda est abolita, sed potius mansisse & servata esse ad hæc tempora existimanda est.

§. XXXI.

Incestus inter ascendentes & descendentes commissus morte expiatur. *Ord. Polit. C.* 6. §. 10. & *Cap.* 30. §. 43. In reliquis gradibus jure divino & humano prohibitis pro qualitate cognationis pœna obtinet arbitraria. Quo gradu vero prohibeantur nuptiæ in terris Brunsvicensibus & Luneburgensibus, exposuit *Ordinatio Politica Cap.* 30. item *Ordinatio Ecclesiastica Christiani Ducis An.* 1619. *Cap.* 14. *pag.* 165. *seq.* & *Friderici Ducis An.* 1643. *Cap.* 14. *pag.* 145. *seq.* & *Constitutio Guelpherbytana Antonii Ulrici Ducis d.* 2. *Jan.* 1704.

§. XXXII.

Qui *extra terras nostras* ab alienis sacerdotibus *copulantur*, nisi Princeps ejusve Consistorium ad id consenserit speciatim, arbitrariæ pœnæ obnoxii fiunt per *Ord. Polit. Cap.* 29. §. 2.

§. XXXIII.

Convivia nuptialia terminanda sunt æstivo quidem tempore, hora decima vespertina, sed brumali nona. Secus qui faciunt,

faciunt, neonymphi mulctantur dimidio quisque thalero, convivæ singuli quarta ejus parte. *Ord. Polit. C.* 29. §. 11. & 12.

§. XXXIV.

Neque amplius hæc convivia, nisi per biduum celebranda sunt, quod X. Thalerorum, vel carceris X. dierum pœna cautum est. *Ord. Polit. cit. cap.* §. 8. & 12.

§. XXXV.

Emendicare sub novi anni auspicia *strenas* a testibus sacræ lotionis (**Gevattern**) nisi ultro eas & non rogati dent, interdictum est pœna X. Thalerorum in id constituta. *Ord. Polit. Cap.* 38. §. 6. & 7.

§. XXXVI.

Qui quotidianis *compotationibus dediti* sunt, & *ebriosi*, si admoniti a Magistratu ad frugem se non recipiant, vel carcere, vel mulcta pecuniaria afficiendi sunt, & si spes emendationis deficiat, relegandi. *Ord. Pol. Cap.* 8. §. 2. *Potare* quoque *in aliorum salutem* rustici prohibentur pœna unius floreni Lubecensis. *Ord. Polit. Cap.* 37. §. 2.

§. XXXVII.

Sed præterea quoque neminem *ebrietas* excusat in delictis, potius qui ebrius deliquit, eadem pœna afficiendus, ac si sobrius id fecisset. *Ordinationis Politicæ Cap.* 8. §. 3. verba hæc notatu digna sunt: **Und soll keinen Menschen, der in voller Weise was Straffwürdiges begehet, die Trunckenheit von der ordentlichen Straffe entschuldigen, sondern er derselben nicht weniger gewärtig seyn, als hätte er es nüchtern ausgerichtet, und begangen. Gestalt dann solches nicht allein Käyser Carl der fünffte** *in Edictis Ao.* 1531. *promulgatis*, **sondern auch viel vornehme Rechts-Lehrer und** *Philosophi approbi***ren und bestätigen, daß, wenn ein trunckener ein Laster begehet, derselbe mit einer doppelten Strafe zu belegen, in Betrachtung der Anfang zu sündigen in denen trunckenen Leuten ist, und es in der Menschen Mächten bestehet, die**

Trun-

Trunckenheit, so eine Brunquell und rechtwirckende Ursach ist aller Laster, zu meiden und zu unterlassen. Quibus consentaneum est *Jus Statutarium Luneburgense P.8.tit.*15. verbis: darinn auch keinen seine Truncktenheit entschuldigen soll.

§. XXXVIII.

Convivia novarum fenestrarum eblandiendarum causa instituta penitus sunt prohibita, in quæ pœna X. Thalerorum statuta est. *Ord. Polit. cap.*33.

§. XXXIX.

Quæ articulo 162. Constitutionis Carolinæ Criminalis statuitur *furum* pœna, ea in terris Electoralibus nostris tum demum iis infligitur, si jam antea in eosdem ob unum furtum plurave commissa animadversum sit. Quam istius articuli explanationem dedit Georgius I. in Rescripto ad Cancellariam Cellensem dato in hunc modum: Sr. Königl. Maj. seyn auch zufrieden, daß die *Justiz*-Canzley hinführo *in judicando* sich nach der Meynung derer *JCtorum* richten möge, welche *statui*ren, daß die in Kaysers *Caroli V.* Peinlicher Hals-Gerichts-Ordnung *Art.* 162. gesetzte Todes-Strafe alsdenn erst und anders nicht Statt habe, als wenn ein solcher Dieb, wie er da beschrieben ist, um eines oder mehr vorhin begangener Diebereyen willen bereits bestrafet worden. Und wir -- Hannover den 9. *April.* 1722. Quæ benignior interpretatio ad furtum qualificatum, quod vel cum armis fit, vel cum ascensione, vel effractione, neutiquam extendenda est.

§. XL.

De furto a *domesticis* commisso sequens extat Edictum Georgii I. d. 19. Junii 1709. Setzen demnach, ordnen und wollen, in Krafft hoher Landes Fürstlicher Macht und Obrigkeit, daß der-oder diejenige Haus-Bediente, so in eines Kost und Lohn stehen, sie haben Nahmen, wie sie wollen, und nach *publici*rung dieses Unsers *Edicts* in Unserm Churfürstenthum und Landen sich

sich unternehmen, ihrem Haus-Herren oder Haus Frauen etwas von ihren Sachen, Gelde, Silber, *Pretiosis*, Kleinodien, Linnen Geräthe, und andern ansehnlichen *Meub*len, auch gar Eß- und Trinckel-Wahren, wenn sie solche schnöden Gewinsts halber verpartiren und verkauffen, boshafft und vorsetzlicher Weisse zu entwenden, und darüber betreten, oder doch des Diebstahls überführet seyn werden, befundenen Umständen nach, am Leben, oder mit *perpetui*rlicher *Condemnation ad operas publicas* bestraffet werden sollen, es wäre denn, daß es nur Kleinigkeiten von gar geringem Werth, so gestohlen, oder der Thäter noch sehr jung von Jahren. *Vid. Contin. Constit. Hannover. provinc. No.* 90.

§. XLI.

Quæ ex hoc Edicto notanda veniunt, hæc fere sunt. *Primum* eo continentur ex domesticorum numero hi tantum, qui *mercede victuque domini* fruuntur. Id enim indicant verba: so in eines andern Kost und Lohn stehen. Cessat igitur hoc Edictum in iis, qui pro mercede quotidiana operas suas locant. Sed tenentur hoc Edicto ii Famuli, qui pecuniam pro victu accipiunt, die wöchentliches oder jährliches Kostgeld geniesse. *Alterum* illud est, ut ablatio *esculentorum* non aliter hoc Edicto comprehendatur, quam si esculenta animo lucri faciendi surrepta venditaque sint. Cessat igitur edictum in iis, qui, quæ abstulerunt, ipsi comedunt. *Deinde* remittitur severitas edicti in furtis *parvi momenti* tenuisque pretii, & *postremum* quoque in fure admodum *juvene*.

§. XLII.

Sed cum dubitatio postea suborta esset, quodnam furtum parvum, & quis fur juvenis admodum habendus sit, num item restitutio rei ablatæ pœnam mitiget, & num eadem in furto primo, quæ in repetito, pœna decernenda sit, aliud Edictum d. 7. Jan. 1710. promulgatum est, in eum modum: So wiederhohlen und erklären Wir Unsere obangezogene und bereits *pu-*

blicirte *Constitution* wegen der Haus-Diebe dahin, daß dieselbe, wenn sie über solcher Haus-Dieberey betreten, oder deren zu Recht überführet seyn werden, ohne Unterscheid, ob sie dergleichen Haus-Dieberey ein- oder mehrmahlen verrichtet, ingleichen ob es *restitui*ret sey oder nicht, am Leben bestraffet werden sollen, es wäre denn die Summa des gestohlnen gar geringe, und unter Fünff Thaler werth, oder Eß und Trinckel-Wahren, so nicht schnöden Gewinsts halben hingenommen, und verkaufet, oder der Thäter noch jung und keine 18. Jahr alt, in welchen Fällen entweder mit *perpetui*rlicher *Condemnation ad operas publicas*, oder mit dem Werck- und Spinn-Hause bestrafet werden sollen. Extremum ejus recitari jubet quotannis a verbi divini præconibus hæc Edicta publice die Dominica illa, qua Evangelium de perfido administratore pro concione explicatur. Vid. *Contin. Constit. Provinc. Hannov. No.* 91.

§. XLIII.

Hoc igitur Edicto *primum* illud cavetur; ne domestici fures propterea, quod rem ablatam domino suo *restituant*, laquei pœnam effugiant. *Alterum* est, ut non distinguatur, num furtum hoc domesticum primum sit, an repetitum. *Præterea* hoc loco *parvum* habetur hoc furtum, quod infra V. Thaleros est, quibus conveniens est, vt si quod V. Thaleros æquet, vel plane superet, furtum magnum existimetur. *Deinde* is fur *juvenis admodum* habetur, qui annum ætatis XVIII. non exegit. *Postremum* illud cavetur, ut fur hic juvenis condemnetur ad perpetuas operas, si mulier, ad laborandum perpetuo in ergastulo, majores vero XVIII. annis laqueo vitam finiant.

§. XLIV.

Evenit postea, ut in *ignorantia* hujus Constitutionis præsidium defendendi collocarent defensores & Advocati. Sed hoc destituti jam sunt, novo Edicto d. 28. Martii 1725. insecuto, quo Oratores sacri edicta hæc quotannis publice recitare denuo jubenben-

bentur, herique monentur, ut qua die dominica illa publice in ædibus ſacris recitantur, horum audiendorum cauſa famulos ſuos famulasve ad templa mittant. Ob quam rationem ſacri Oratores octo diebus ante, edicta hæc recitatum publice iri, populum edocere jubentur. Poſt hæc omnia declaratur, ignorantiæ exceptionem nemini ad mitigandam pœnam conducturum. Verba ea ſunt: **Geſtalt Wir nicht gemeynet ſeyn, hinkünfftig den Vorwand, als ob dieſem oder jenem, der dagegen handelt, deren Inhalt nicht kund geweſen, zu einiger** *mitigi***rung der verwirckten Strafe zu** *admitti***ren.** Sed cum compertum eſſet amplius Oratores quosdam ſacros a Magiſtratu civili rogatos, recitare hæc Edicta recuſaſſe, cauſam interſerentes, ſibi eam recitationem a Conſiſtoriis demandatam non fuiſſe, illa cauſa alio Edicto d. 27. Aug. 1728. rejecta eſt, quo Clerici omnes ſeverius admonentur, ut rogati & requiſiti a Magiſtratu civili non has ſolum conſtitutiones, ſed & omnes, quæ Regis & Electoris nomine vel ab ejus regimine emanarint, publice recitent, nullo ad hoc conſiſtorii mandato requiſito.

§. XLV.

Id tandem dubitationis ſuperfuit, num V. *Thalerorum* nomine accipienda ſit vulgaris moneta, an veri Imperiales (*Species*-**Thaler.**) Et ſignificari iis veros Imperiales reſcripſit Georgius I. Rex d. 7. *April.* 1725. hoc modo: **Uns iſt der Inhalt eurer** *Relation* **vom 26.** *Mart.* **und daraus vorgetragen, wasgeſtallt ihr zu wiſſen verlanget, ob die 5. R. Thaler, worauf in der** *Conſtitution* **von der Haus-Dieberey** *in caſu furti* **die Straffe des Stranges geſetzet, nach** *ſpeciebus*, **oder** *current* **zu nehmen ſeyn. Weilen nun bey** *Publication* **dieſer Verordnung es nie die Meynung gehabt, von dem Inhalt oder Verſtand der** *Conſtitutionis criminalis* **abzugehen, folglich die** *Summa* **allerdings nach** *ſpeciebus*

 anzu-

anzuschlagen ist; So werdet ihr Euch darnach richten 2c. 2c. Hannover den 7. *April.* 1725.

ad mand. Reg. & Elect.

Elz.

§. XLVI.

Qui equum ex stabulis alterius vel pascuis abstulit, quod crimen *abigeatus* vocari solet, non habita ratione pretii, neque factæ restitutionis, de patibulo suspenditur. Quæ pœna eos quoque manet, qui in ejusmodi furto excubias agunt, & de ablatis quidquam participant, secundum Edictum *Georgii Wilhelmi Ducis d.* 17. *Febr.* 1698. cujus hæc sunt verba: **Setzen demnach, ordnen und wollen, daß der- oder diejenige, so nach *publici*rung dieses Unsers *Edicts*, in Unserm Fürstenthum und Landen, es sey im Felde, Weiden und Wiesen, oder auch in Häusern und Ställen, Pferd-Diebereyen auszuüben, ihnen unternehmen, und darüber entweder betreten, oder doch dessen zu Recht überführet seyn werden, sie seyn fremde oder einheimische, von Unserer *Soldatesque* oder sonst Unsern Unterthanen, ohne Unterscheid, ob sie dergleichen Pferde-Diebstahl ein- oder mehrmahlen verrichtet / ingleichen ohne einiges Absehen auf den Wehrt oder das Alter des gestohlnen Pferdes, auch ob dasselbe *restitui*ret sey / oder nicht, nicht weniger, ob sie solches selber gestohlen, oder auch nur bey der That selbst durch Wacht halten, oder sonsten würcklich *concurri*ret, um davon zu *participi*ren, ohne einzige Gnade mit dem Strang vom Leben zum Tode gebracht werden sollen.** Vid. *Volumen Constitutionum Politicarum pag.* 1000. *seq.* Quæ constitutio repetita est novo Edicto *d.* 22. *Nov.* 1708. in *Suppl. Const. prov. pag.* 76. *seq. No. XXX.*

§. XLVII.

§. XLVII.

Pro æquitate hujus Edicti faciunt, quæ affert *Hugo Grotius de J. B. & P.* L. 2. *Cap.* 20. §. 35. Quippe ea ſunt animadvertenda peccata maxime, quæ difficillime præcaventur, quæ verba ſunt *Ciceronis* ex Oratione ipſius pro Sexto Roſcio Amerino, & ut quidque facillima ratione committi poſſit, ita maxime coercendum illud eſſe, rationis rectæ dictamen eſt. Add. *B. Thomaſii Diſſ.* de *Crimine Abigeatus.* Neque ſeveritas iſtius pœnæ a Jure Romano aliena eſt, ut demonſtrat. *L.* 1. *ff. de Abigeis.*

§. XLVIII.

Sed *non pertinet* hujus Edicti pœna ad *eos*, qui auſi quidem hoc equorum furtum ſunt, ſed plene non conſummarunt, neque etiam ad eos, qui ex re quidem ablata participant quidquam, opem vero ad perpetrandum ipſum furtum non contulerunt, nec item ad hos, qui conſilio tantum, non auxilio juverunt furem. In quibus cauſis mitior quidem pœna dictatur, ſed durior tamen eadem, quam quæ jure communi alioquin in homines ejus farinæ ſcripta eſt, & ſaltem pœna corporis afflictiva. Hoc indicant Edicti verba: **Da auch ſolcher Pferde-Diebſtahl noch nicht vollenführet, und der Dieb bey dem** *tentir***enden Verbrechen, oder auch hernach betreten, ingleichen, da jemand ſolchen Diebſtahl zwar ſelbſten nicht verrichtet, oder auch vor erwehnter maſſen dabey würcklich nicht** *concurrir***et, davon aber wiſſentlich** *participir***et, oder Anſchläge, ohne einige mehrere** *Concurrenz* **oder Hülff-Leiſtung geben würde, ſoll in allen und jeden ſolchen Fällen nicht nur die in dem gemeinen peinlichen Recht, auch denen Kriegs-***Articuln* (*conf.* **Br. Lüneb. Kriegs-Recht** *Tit.* 18. *Vol.* **der Gerichts-Ordn.** *pag* 724. *ſeq.*) **ſonſt geſetzte Straffe geſchärffet, ſondern auch** *in ſpecie* **ſolche angetroffene Hehler und Rathgeber nach Befinden mit ohnausbleiblicher Lebens- oder wenigſtens ſcharf-**

fer Leibes-Straffe beleget werden. Neque vero ſeveritas hujus delicti ad hos quoque pertinet, qui non equos abigunt, ſed alia pecora, qui eodem modo, ut fures, coercentur. Conf. *tit. ff. de Abig.*

§. XLIX.

De *furibus ferarum* in terris *Calenbergicis* cavet Conſtitutio Hannoverana 12. 17. 18. 30. 69. & 70. in Ducatu Cellenſi Conſtitutio d. 6. Junii 1711. in *Suppl. Conſt. provinc. No.* LIX. *pag.* 179. Ex qua conſtitutione hæc notanda præcipue ſunt. *Primum* is feras beſtias capiendi & furandi animo ſilvas bannumve regium ingreſſus eſt, quamvis conſilium & propoſitum ad effectum non perduxiſſet, ad operas publicas condemnandus eſt. Hoc indicant verba: denjenigen aber, welcher ſol„chergeſtalt ertappet wird, wollen Wir, wenn er Wildſchieſ„ſens halber ausgegangen zu ſeyn, überführet würde, ob er „es gleich noch nicht zur Würcklichkeit gebracht, andern zur Warnung und Abſcheu mit Karrenſchieben zu Lüneburg oder Hameln beſtraffen laſſen. *Deinde* venatoribus & ſaltuariis permiſſum eſt, glandes ignitas in eos ejaculari, qui cum armis letiferis reſiſtere ipſis audeant. Quod ſignificatur iis verbis: Sollte ein oder ander, ſo in dergleichen That und verbotenen Orten betreten würde, ſo vermeſſen ſeyn, und ſich denen, ſo ihn von Unſertwegen anruffen und anhalten wollen, *mit tödlichem Gewehr zu wiederſetzen, unternehmen wollen*, mag auf ſolchen Freveler, auf die Weiſe und nach Inhalt der Unſerm Ober-Jägermeiſter deßfalls ertheilten Inſtruction, Feuer gegeben werden. *Præterea* qui ferarum beſtiarum furem denuntiant, & hoc argumentis, quantum ſatis eſt, probant, vel XX. vel XXX. vel XL. vel etiam L. Thalerorum præmium ferent. Verba Edicti ſunt: Wer einen Wild-Dieb angeben, und ſolche Anzeige gegen ihn beybringen wird, daraus er der Wild-Dieberey zu überführen, dem ſollen, wenn dieſelbe wahr

und

und gegründet zu seyn, befunden wird, auch den Förstern selbst, wenn sie dergleichen entdecken werden, von Unsertwegen, nach Bewandniß der Umstände, 20. 30. 40. bis 50. Rthlr. gegeben werden.

§. L.

Quæ sint ferarum bestiarum captarum speciales pœnæ in Ducatu *Cellensi*, id tabula quædam ante urbis nostræ portas exposita, docet hac quidem ratione:

Ein Hirschbock	100 Rthlr.
Ein Schmalthier	80 Rthlr.
Ein Wildschwein	60 Rthlr.
Ein Reh	50 Rthlr.
Ein Haase	30 Rthlr.
Ein Rebhun	20 Rthlr.
Ein Birckhan	10 Rthlr.
Eine wilde Ente	5 Rthlr.
Eine Wachtel	4 Rthlr.

In Ducatu Calenbergensi cautum est Constitutione d. 16. Nov. 1699. ut qui in banno Principis perdices caperent, pro quavis capta secundum personarum conditionem vel C. vel L. vel XXX. Thalerorum pœnam lueret. *Phasianorum* furibus arbitraria pœna dictatur Constitutione de 8. Maji 1696. Sed noviori Constitutione de 14. Mart. 1703. pro phasiano quovis L. Thaleri pœnæ loco exsolvendi sunt, & qui in ære non habet, luet hoc carceri traditus, vel expositus ad numellas.

§. LI.

Qui *tempore incendii alienas res*, quantumvis minimi preti secum *abstulerunt*, vel *depositum miserabile negarunt*, neque hoc vel ultro, vel rogati restituerunt, capite plectuntur, secundum Edictum de 24. *April* 1710. quod ita se habet: Gleichwol an dem, daß die in solchen Fällen verübte Boßheit desto schärfer

zu

zu bestraffen, je weniger man sich davor hüten kan; Als ist Unser ernster Wille, daß derjenige, welcher alsdann auch das allergeringste entwandt, das ihm anvertraute nicht wieder zurechte bringet, oder daß er es hat, auf beschehenes Nachfragen verleugnet, ohne einzige Gnade am Leben gestrafft werden solle.

§. LII.

Residui crimen hoc est, cum quis pecuniam publicam fidei ipsius commissam in alios usus, vel in suum convertit, nec restituere potest. Qui hoc committunt, si summa C. Thalerorum sit, ultimo supplicio afficiuntur, si minor, ad operas publicas condemnantur, & præterea infames fiunt. Quod si post mortem demum de residuo appareat, honesta sepultura privantur, per Constitutionem Ernesti Augusti Electoris de 5. Jan. 1685. *Vol. Ord. Judicial.* pag. 962. & in *Constit. Hannoveranis No. XLI.* Quam constitutionem d. 15. April. 1705. repetiit Georgius Ludovicus Elector in *Constitutionibus provinc. Hannover. No. XLIX.* qui ea comprehendi quoque jubet tum administratores, & receptores pecuniarum civitatis vel alius universitatis, tum eos, quibus pecuniarum in judiciis depositarum custodia est commissa.

§. LIII.

Ac de *fructibus hortorum agrorumque* surreptis cavet *Edictum Regium de* 27. *Jul.* 1715. in *Suppl Constitut. provinc. pag.* 230.

§. LIV.

De *incendiariis dolosis* Constitutiones nostræ nihil cavent. Quibus conveniens est, ut eorum pœna ex jure civili & Carolino determinanda sit. Siquidem distinguit Jus civile incendium factum in civitate ab eo, quod in pagis excitatur. *L.* 28. §. 12. *ff. de pœn.* vid. infra *Cap.* XXV. §. XL. Sed quorum

culpa

culpa vel negligentia incendium oritur, ſi ſint domini earum ædium & damnum inferatur vicinis, non modo damnum reſtituent, ſi poterunt, ſed præterea quoque pœna corporis afflictiva afficiendi ſunt, ſecundum *Edictum Electorale de* 24. *Apr.* 1710. §. 3.

§. LV.

Si *famulorum* culpa vel negligentia incendium cooritur, fuſtibus cæſi perpetuo relegandi ſunt, ſecundum idem Edictum, §. 2. in *Suppl. Conſt. provinc. No.* LIII. *pag.* 163.

§. LVI.

In *ſilvis & ericetis incendium* ex malitia, vel culpa accolarum, quibus eſt in iis locis jus paſcendi, vel ipſorum famulorum & paſtorum exortum exiſtimatur. Proinde jure in illis paſcendi ſuo, donec auctorem nominaverint & demonſtraverint, privantur. Præterea damnum incendio ſilvis datum reſarcire obligantur. Conf. Edictum Electorale **wegen des Hey-de-Brennens** de 29. Junii 1713. in *Suppl. Conſtit. provinc. No.* LXVIII. *pag.* 221. ſeq. Verba hæc ſunt: **Daferne demnach ein Feuer in der Heyde oder Holtz aufkommen würde, und dann allerdings zu vermuthen, daß jemand derer bey der Feldmarck oder Weyde-Gerechtigkeit** *intereſſi***rten davon Wiſſenſchafft habe, oder es aus Bosheit der Hirten, oder wenigſtens aus Nachläßigkeit deren Weiber, anderer** *Domeſtiquen* **oder beym Vieh befindlichen Jungens, wofür der Brodherr mit zu** *re-pondi***ren ſchuldig, entſtanden; So ſollen obermeldte geſammte** *Intereſſen***ten ſchuldig und gehalten ſeyn, den Thäter innerhalb kurtzer Friſt auszumachen, und bis dahin nicht allein der Hude und Weyde, auch aller ſonſt an dem Orte habenden Gerechtigkeit verluſtig, ſondern auch den daher entſtandenen Schaden zu erſetzen, gehalten ſeyn.**

§. LVII.

Auctores hujusmodi incendiorum cum manifestati sunt, pro genere propositi sui damnique illati ad operas publicas condemnantur, adeo ut in omne vitæ tempus ad id damnentur, quin & supplicio summo affici possint, si grave damnum inde ortum feceritque auctor ex malitia & proposito, secundum hæc verba Edicti: **Sollte dann der Thäter ausgefunden werden, soll derselbe nach Befindung des Vorsatzes und Schadens mit vorgedachter schwerer Straffe, ja Zeit Lebens nach dem Kalckberg oder Hameln gebracht, auch wol gar am Leben gestraffet werden.**

§. LVIII.

Conscii facinoris, vel qui ad extinguendum incendium promtum auxilium non tulerunt, præter pœnam arbitrariam privantur quoque jure in illis locis pascendi suo. Edicti verba hæc sunt: **Die nechstgelegene Dorffschafften aber und übrige dabey** *interessi***rte, welche, wo nicht alle, wenigstens ein Theil derselben, entweder Wissenschafft darum gehabt, oder auch haben können und müssen, vornehmlich aber dem Feuer wehren können, und darüber ihre Schuldigkeit nicht beobachtet, der Hude und Weyde, und aller an solchem Orte habenden Gerechtigkeit verlustig, auch** *respective* **mit anderer ernsthafften Straffe angesehen werden.**

§. LIX.

Ceterum hæc ipsa constitutio latius præscribit, quomodo gerere subditi se debeant, cum necessitas ericen comburi exigit.

§. LX.

Decoctores, quos Bancoruptores barbare vocant, quocunque loco aut dignitate positi, qui vel magnificentia immoderata, vel luxuria, vel lusu, vel splendidis ædificiis exstruendis, vel alia rei familiaris pessima administratione bona sua dilapidant

dant atque ita creditores ſuos doloſe defraudant, pro genere doli & decoctionis, vel capitis pœna, vel alia, puta carceris perpetui, vel operarum publicarum perpetuarum, vel relegationis afficiendi ſunt, ſecundum Conſtitutionem Regiam wieder die muthwillige und vorſetzliche *Banquerouten* de dato 15/28. Mart. 1726. Cujus §. 1. verba ita ſe habent: Da jemand in Unſerm Churfürſtenthum und Landen geſeſſen, und ſich darinn enthielte, er ſey von *condition* und Stande, Würden und Weſen er wolle, ſich unterſtehen ſollte, die aufgeliehene Gelder entweder durch übermäßigen Pracht, oder üppiges und wollüſtiges Leben, oder Spielen, oder koſtbare Gebäude, oder andere ohnnöthige und verſchwenderiſche Ausgabe und geführten üblen Haushalt herdurch zu bringen, alſo durch ſein vorſetzliches und boshafftes Verſchulden *banqueroute* zu machen, und ſeine *Creditores* dadurch in Schaden zu ſetzen, und vorſetzlich zu betriegen, derſelbe nach Befindung ſolches begangenen vorſetzlichen Betrugs und der Gröſſe des *doli* und des *Banquerouts*, ohne einige Gnade am Leben geſtraffet, oder mit einer Leibes-Straffe, entweder zu ewiger Gefängniß, oder *Condemnation* zum Karrenſchieben oder in das Zucht- und Werck-Haus, oder ewiger Landes-Verweiſung *condemni*ret werden ſolle.

§. LXI.

Contra hos decoctores proceſſus inquiſitorie tractandus eſt, eodem modo, ut proceſſus criminalis contra fures. Quin & ſi nolint indicare, ubi bona ſua occultaverint, & de ea re juſta ſuſpicio adſit, ad bona manifeſtanda ſua tormentis adigendi ſunt. Edicti verba hæc ſunt: Als wobey auf die bey einem *criminal-Proceß* gegen Diebe ſonſt gewöhnliche Ahrt zu *procedi*ren, und nach Gelegenheit der Umſtände auf Gefängniß, Banden und auch die ſcharffe Frage, vornehmlich zur *manifeſti*rung des *Corporis bonorum* zu erkennen.

§. LXII.

Eodem modo procedendum est contra eos, qui, cum sciant, non esse se amplius solvendo, creditores suos nihilominus pecunia emungunt, bonave sua occultant. Ac de his Constitutionis memoratæ §. 2. in hunc modum statuit: Auf eben solche Weise soll auch gegen diejenige verfahren werden, welche überführet werden können, daß wenn sie in Abfall ihres Vermögens gerathen, kurtz vorhero, wenn sie ihren ohnvermeidlichen *Banquerout* bereits für Augen sehen, sie noch von andern Leuten boshafft und betrüglicher Weise, mit Verschweigung ihres Unvermögens und schlechten Zustandes, Gelder entlehnen, und auf eine oder andere Ahrt solche *Creditores* an dem ihrigen, verkürzen, oder auch von ihren Bahrschafften, *Effecten*, Wahren, Bücher, *Bilancen*, *Documenten* und dergleichen heimlicher Weise, ab Seite, auch wol gar ausserhalb Landes bringen.

§. LXIII.

Idem procedendi modus eademque pœna in eos scripta est, qui in injuriam priorum creditorum cum posterioribus, vel cum liberis suis, cognatis, aliisve collusere, iisque bonorum partem, unde postea sustentare se possint, clanculum tradidere. Constitutionis allegatæ §. 3. in eum modum loquitur: Nicht weniger auch gegen diejenige, welche zum Nachtheil ihrer Gläubiger, so ein Vorzugs-Recht haben, sich mit einigen jüngern, oder wol gar angegebenen falschen und *simulir*ten *Creditoribus* heimlich vergleichen, scheinbare, jedoch ungültige Wechsel auf sich stellen lassen, oder ihren Kindern, Anverwandten und andern Personen einige Güter heimlich abtreten, übergeben, verkauffen oder schencken, ihnen einige Gelder und Bahrschafften zu *parti*ren, damit sie, die *Banquerou-tiers* nachher davon Unterhalt haben mögen, so dann boshaffter und betrüglicher Weise einen Abfall ihres Vermögens angeben,

bonis

*bonis cædi*ren, ihre übrige Bahrschafften, ausstehende Schulden und *Effect*en verbergen und heimlich halten, also schändlichen *profit* und Gewinst zu machen, suchen.

§. LXIV.

Qui dolose colludunt cum decoctore quodam eique vel ad fugam capiendam, vel ad occultanda bona adjumento sunt, quamvis propinquitate proximi, vel famuli, vel etiam domestici, pro circumstantiarum qualitate vel ad operas publicas aut ad ergastulum condemnantur, vel relegantur, secundum §. 7. dictæ constitutionis, cujus verba hæc sunt: Diejenigen, welche sich unterstehen, einem dergleichen muthwilligen *Banqueroutier* zu dessen Austritt und heimlichen Wegbringung seiner Sachen und *Effect*en Hülffe und Vorschub zu leisten, oder auf andere Weise mit ihm zu *colludi*ren, und seines boshafften Unternehmens sich theilhafftig zu machen, sollen, wann es auch gleich des Flüchtigen nächste Anverwandte, Bediente oder Haus-Genossen wären, nach Befindung mit harter nachdrücklicher Straffe, als des Karrenschiebens, auch wol Zucht- oder Werck-Hauses und Landes-Verweisung angesehen werden.

§. LXV.

Qui culpa sua non solvendo existunt, veluti qui negotiationem gerunt, quam non intelligunt, item pecunias tam ex suo patrimonio, quam ab aliis mutuas acceptas imprudenter locant, patrimoniumve suum male curant & dispensant, reive familiaris suæ vel negotiationis rationes quotannis minime ineunt, ii cognitione causæ facta pro varietate circumstantiarum aut in tempus relegantur, aut ergastulo includuntur, aut ad operas publicas dantur. Constitutionis memoratæ §. 9. ea de re cavet in hunc modum: Als sich auch öffters zuträgt, daß jemand zwar keinen vorsetzlichen und muthwilligen *Banquerout intendi*ret, jedoch aber einige Handelungen, Kauffmannschaff-

ten, und Gewerbe übernimmt, welche er nicht verstehet, und selbigen nicht gewachsen ist, oder auch sonsten das seinige nebst denen von den *Credito*ren entlehnten Geldern unvorsichtig und liederlich *hazardi*ret, auf seine Sachen und Zustand seines Vermögens nicht gnugsam Acht giebet, übel und fahrläßig Haus hält, wenn er ein Kauff- und Handelsmann ist, in Jahres-Frist, oder sonsten binnen behöriger Zeit keine *Bilance* ziehet, und durch seinen Unverstand, Nachläßigkeit und Verschulden *Banqueroute* machet, mithin seine Gläubiger dadurch verkürtzet, oder benachtheiliget werden, welches denn jedes Orts Obrigkeit, worunter dieser *Banqueroutier* gesessen, gleichfalls so fort *ex officio* genau zu untersuchen und zu *examini*ren hat, derselbe soll nach Befindung der Umstände und Erkenntniß des Rechtens entweder auf ewig, oder auf eine gewisse *determini*rende Zeit mit *condemnation* des Karrenschiebens, Zucht- und Werck-Hauses, auch wol Landes-Verweisung und Gefängniß bestraffet werden.

§. LXVI.

Sed *uxores* quoque *decoctorum* pœna quædam manet. Privantur nempe beneficiis & privilegiis prælationis atque hypothecæ tacitæ, quæ uxoribus alias dotis & illatorum nomine competunt, quando maritum luxuria vel effusione uxoris ad inopiam recidisse, constat. Eadem constitutio §. 8. ita cavet: *Constitui*ren wir, daß, wenn die *Creditores* mit Grund darthun, und beyzubringen vermögen, daß der Mann durch üppiges und verschwenderisches Leben, oder sonsten durch Verschulden seiner Frau in Ubelstand und *falliment* gerathen; Alsdenn solche denen Frauen sonderlich in denen Rechten zu gute verordnete *Beneficia* derselben keines weges zu statten kommen, sondern sie deren vielmehr gäntzlich verlustig, mithin von ihrem eingebrachten *Dote* und übrigen *Illatis* ehender

nichts

nichts zu fordern befugt seyn sollen, bis die sämtliche *Creditores*, es mögen dieselbe *Hypothecarii*, oder andere schlechte Gläubiger seyn, wenn sie nur, daß die *liquidi*rte Forderungen richtig seyn, *doci*ret und beygebracht, ihre völlige Befriedigung erlanget.

§. LXVII.

Præterea donationes omnino cunctæ, quantumvis modicæ, quas maritus decoctor uxori suæ constante matrimonio fecit, nullæ habentur atque irritæ, earumque rerum creditoribus revocatio conceditur. Nec interest, utrum tempore factæ donationis solvendo adhuc fuerit maritus, nec ne, num quoque uxoris vitio decoxerit, an minus. Quod patet ex eodem §. 8. Als *statui*ren, und ordnen Wir hiemit, daß eines solchen *Fallit* gewordenen Manns Schenckungen an seine Frau, er mag lange oder kurze Zeit in der Ehe gelebet haben, damahln *solvendo* gewesen seyn, oder nicht, sie mag an dem Verfall mit oder nicht Schuld haben, sie mögen von *Importance*, oder auch geringe seyn, alle *null* und nichtig seyn sollen. Und es bestehen solche Schenckungen entweder in Kleynodien, Silber-Geschirr, Kleider oder Linnen Geräthe, solches alles zum *Concurs* gezogen, und dahin von denen Frauen ausgeliefert werden.

§. LXVIII.

Primum quidem hic constitutionis locus durior videtur. Numquid enim peccavit uxor, quæ in culpa non est, neque ad ruinam fortunarum mariti quidquam omnino contulit. Sed non dicam, jure jam civili donationes inter conjuges prohiberi, ne venalia sint matrimonia, mutuoque conjuges se amore spolient, L. 1. & 2. *ff. de Donat. int. Vir. & Ux.* adeo ut traditione subsequenti neque dominium transferatur, neque usucapiendi conditio L. 3. §. 10. L. 7. §. *fin. ff.* L. 18. & 20. *C. eod.* Ipsa actio Pauliana, seu revocatoria creditoribus data est

contra

contra quoscunque ex titulo lucrativo rem possidentes, quamvis ab omni fraude & dolo alieni sint. L. 6. §. 11. *ff. quæ in fraud. creditor.* Non ergo poterit Uxor hoc casu queri, injuriam sibi inferri, siquidem hæc lucrum captatura cum damno creditorum erat. Sed quod ait constitutio nostra de revocandis vestibus uxori donatis, hoc tantum ad festivas pertinere, putarem, non item ad quotidianas, propterea quod hæ in alimentis referendæ sint, ad quæ quidem suppeditanda uxori jure obstrictus est maritus, neque ista donationis titulo hæc accipit. Quænam vero sint festivæ vestes, & quæ quotidianæ, hoc ex conditione & dignitate personarum, quin ex cujusvis quoque civitatis usu dignoscendum est. Ne multa, sine quibus commode in publicum & honeste uxor prodire nequit, eæ habendæ sunt quotidianæ. *Heeserus Loc. Comm. de Bon. Conj. communione P. 5. Loc. 5. n. 33.*

§. LXIX.

De *nautis* & *aurigis*, qui corrumpunt merces eorum fidei creditas, earumve partem detrahunt, cavet Constitutio Friderici Ducis d. 21. *Dec.* 1639. *Vol. Const. Polit. Cap.* 24. pag. 795. **Daß derselbe nicht allein des Frachtlohns verlustig seyn, und den Abgang und Schaden büssen und erstatten, sondern auch samt denjenigen, so dazu geholffen, nach Befindung an Ehren und Gut, Leib und Leben unnachläßig bestraffet werden sollen.** Repetiit hoc Georgius Wilhelmus Dux & dupli restitutionem injungit Edicto d. 9. *Febr.* 1685. *Vol. Ord. Polit. pag.* 796. **Da einer oder ander darüber betroffen, und dessen überführet werden sollte, der oder dieselbe nicht allein den verursachenden Schaden und Abgang gedoppelt ersetzen, sondern überdem auch mit willkührlicher hoher Geld-Straffe, oder auch nach Befindung mit harter Leibes-Straffe unnachbleiblich angesehen werden sollen.**

§. LXX.

§. LXX.

Sed & qui ſcientes ab aurigis nautisve eas res emunt & recipiunt, arbitrarie puniuntur, & præterea res ipſas, vel earum pretium reſtituere, obligantur. Nam in eum modum cavit conſtitutio jam dicta Friderici Ducis: **Wie denn auch diejenigen, welche ſothane verdächtige und geſtohlne Güter an ſich erkaufft, oder in Bezahlung angenommen, dahin anzuhalten, daß ſie dieſelbe ohne Entgeld wieder von ſich ſtellen, oder, wenn ſie nicht mehr vorhanden, den Wehrt dafür erſtatten, und über das, wenn ſie wiſſentlich ſolch geſtohlen Gut an ſich gebracht, geſtallten Sachen nach zu ſtraffen ſeyn.**

§. LXXI.

Vectigalium fraudatio coercetur mercium confiſcatione. Quæ ſi iterum fiat, tum vero pœna corporis afflictiva decerni poteſt, ſecundum Edictum Electorale de 7. *Oct.* 1712. in *Suppl. Conſt. provinc. pag.* 186. verbis: **bey unnachbleiblicher** *Confiſcation* **der Güter, auch wol bey mehrmahln wiederholter** *contravention* **und alſo mercklich verſpürten böſen Vorſatze, einer Leibes-Straffe.** Et mercium confiſcatarum partem accipiunt ii, qui exigendis vectigalibus ſunt præfecti: **und einen Theil vor ſich davon zu genieſſen haben.**

§. LXXII.

Qui vendendum *frumentum aqua adſpergunt* doloſe, ob eam cauſam, ut ſcateat medimnumque facilius iſto impleatur, pro genere cauſarum & doli arbitrarie coercentur, ut vel mulcta, vel in corpore affligantur, & præterea frumentum quoque commiſſum ſit, per Edictum *Georgii Wilhelmi Ducis* de 28. *Jul.* 1699. in *Contin. Suppl. Conſt. provinc. no.* CL. *pag.* 601. **daß nicht allein das genetzte Korn weggenommen und** *confiſci*ret, **ſondern auch der Verbrecher noch dazu mit einer empfindlichen Geld- oder Leibes-Straffe angeſehen werde.**

§. LXXIII.

Laniones quoque, qui renes lumbosque pecoris mactati expositique ad emendum dolose inflant, aliave quadam re distentant, (welche in das zum feilen Kauff geschlachtete Vieh, wenn es noch warm ist, Löcher stechen, und dasselbe, damit es ein Ansehen haben, und desto besser abgehen, auch so viel theurer bezahlet werden möge, aufblasen, oder auch die Nieren mit dem Netze, oder andern fremden Fett und Talg von Ochsen, auch wol gar mit Tüchern, oder andern garstigen Sachen ausstopffen und darunter stecken,) præterquam quod arbitrarie in eos animadvertatur, jure quoque magistrorum privantur & opificiis excluduntur. Sed Boethi, seu sciente, seu insciente magistro hoc fecerint, in opus publicum dantur, secundum Edictum Electorale de 7. *Junii* 1712. in *Cont. Suppl. Constit. provinc. No.* CLI. *pag.* 602.

§. LXXIV.

Qui vendendam *lanam corrumpunt* dolose vel arenam inspergendo, vel alias res impuras, vel qui sordes ejus, prout fieri debebat, lavando non absterserunt, ob eam rem, ut pondere fiat gravior, eorum lana priori casu omnis, posteriori ex dimidia parte confiscatur ex Edictis Electoralibus de 17. *Apr.* 1705. *d.* 25. *Maji* 1709. d. 16. *Apr.* 1716. *& d.* 11. *Apr.* 1718. in *Cont. Suppl. Constitut. Provinc. No.* CLII. & CLIII. *pag.* 604. *seqv.*

§. LXXV.

Qui ad regiones nostras accedunt *mendicaturi,* primo, ut sponte abeant, commonendi sunt, sed reversi primo relegantur, iterum vel tertium reversi pœna corporis afflictiva coercentur. *Ord. Polit. Cap.* 9. §. 6. & 7. add. *Rescriptum generale Consilii Regiminis* de 10. *Julii* 1684 in *Contin. Supplem. Const. prov. pag.* 672. *No.* CLXXIX. Secundum Constitutionem Electoralem

ralem de 12. *Aug.* 1710. extranei ſine venia mendicantes, ſi corporis vitio laborant, carcere XXIV. horarum ſuſtentato regionibus noſtris ejiciuntur, ſi valentes ſint & corpore robuſto, operisque publicis obeundis apti, ad munimenta deportantur. *Cont. Suppl. Conſtit. provinc. No.* CLXXXI. *pag.* 675. Ac eorum quidem, qui corporis vitio laborant, pœna ad VIII. dierum carcerem poſtea evecta eſt, adeo ut præter aquam & panem nihil ipſis porrigatur. Sed reliqui, qui corpore ſunt robuſto, in opus publicum dantur, fœminæ in ergaſtulum, ex *Conſtitutione Electorali de* 14. *Aug.* 1714. §. 2. & 3. *Vol. eod. pag.* 697. *ſeqv. No.* CLXXXIV.

§. LXXVI.

Judæi externi mendicandi cauſa huc accedentes, carcerem duriorem X. vel VIII. dierum perpeſſi, e provinciis noſtris eliminantur, reverſi fuſtibus cæduntur, & inuſto ſtigmate notantur, ſed tertium reverſi laqueo vitam finient, ſecundum eandem conſtitutionem §. 6. & 7. add. Edictum Hannoveranum de 14. *Oct.* 1699. in *Conſtitut. Hannov. No.* LXXIII. & de 24. *Dec.* 1704. *No.* LIX. Sed & qui Judæos iſtos mendicantes hoſpitio excipiunt, X. Thaleris mulctantur, per cit. *Conſt.* de 1714. §. 8.

§. LXXVII.

Cingari quidem has noſtras terras ingreſſi pœna corporis afflictiva afficiuntur, & pro re nata capite plectuntur, quin & ſi ipſos capientibus reſiſtunt armis impune a ſubditis occidi poſſunt. Infantes præterea adimuntur ipſis & impenſis Cameræ educantur, viris probis & integræ vitæ traditi, ut in Chriſtianorum ſacris & doctrinis inſtituantur. Senes ad labores munimentorum perferendos minus idonei, eorumque mulieres annum ætatis quintum & vigeſimum egreſſæ, fuſtibus cæduntur ſeverius & urpheda præſtita relegantur, comminatione ipſis facta, ſi poſthac revenerint, laqueo ſuffocatum iri.

Sed quæ annum ætatis XXV. non attigerunt mulieres itemque pueri ad opus publicum haud idonei pariter relegantur, mares vero corpore valentes ad omne vitæ tempus in opus publicum dantur, per Edictum de 30. *Nov.* 1709. in *Suppl. Conſt. provinc.* No. L. pag. 155. *ſeqv.* Quod ſi ob eam cauſam, quod liberi ipſis ablati ſint, minas jactent, capite plectuntur, ſecundum appendicem memorati Edicti, *ibid. pag.* 160.

§. LXXVIII.

De *dardanariis* eorumque pœnis multa præſcribit Conſtitutio Hannoverana LX. LXII. & LXIII. item Conſtitutio de 11. Januar. 1709. in *Suppl. Conſt. provinc. No.* XXXVII. *pag.* 109.

§. LXXIX.

Qui, cum viſitatores publici, (*Licent-Viſitato*ren und Bediente) muneris ſui officium exequuntur, vel reſiſtit iis, vel injuriam realem utcunque infert, ob petulantiam iſtam ad operas publicas condemnatur. Qua de re extat Conſtitutio Regia de 12. *Jul.* 1723. in hunc modum: **Geſtalt dann diejenige von Unſern Unterthanen, welche denen *Viſitation*en ſich *opponi*ren, an die *Viſitatores* ſich vergreiffen, oder wol gar Hand an ſie legen, ohne einiges Nachſehen** *ad operas publicas* **nach Befinden auf gewiſſe Zeit** *condemni***ret werden ſollen.**

§. LXXX.

Uſurariæ pravitatis pœna eſt jactura ſortis ſecundum quartam ejus partem. *Conſt. Polit. cap.* 39. §. 4. **den vierdten Theil ſeiner Haupt-*Summ*en verlohren haben, und derſelbe Uns oder andern nachgeſetzten Obrigkeiten, denen es gebühren möchte, heimfallen, und auf ſolchen vierdten Theil unnachläßig geſtraffet werden.** Quinam ſint ii Judices, quibus quarta hæc debeatur, explanat *Receſſus Imperii An.* 1577. Francofurti factus *tit.* 17. §. **dieweil aber ſolches und dergleichen** *Contracte* **ꝛc.** Ac

is

is quidem alteram hujus quartæ dimidiam judici civili (**denen Erb-Gerichten**) ſub quo debitoris domicilium eſt, alteram ei tribuit, ſub cujus jurisdictione fœnerator degit. Verba quidem Receſſus hæc ſunt: **den vierdten Theil an ſeiner Haupt-Summen verlohren, und derſelbig halb ſeiner Bürgerlichen Obrigkeit (an etlichen Orten Erbgericht genannt) zum andern halben Theil aber der Obrigkeit, darunter der arme Mann, gegen den ſolcher wucherlicher** *Contract* **und** *Partita* **gebraucht worden, heimgefallen ſeyn ſoll.**

§. LXXXI.

Veruntamen iſti pœnæ tum demum locus eſt, cum revera fœnus acceptum & uſuraria pravitas in effectum perducta eſt. *Dn. Berger.* in *Oecon. Juris* L. 3. *tit.* 9. §. 11. *not.* 1. Quod ſi enim is, cui improbum fœnus eſt promiſſum, non hoc poſtea, ſed licitas petit uſuras atque ita pœnitentia ductus a delicto abſtinet, antequam injuria alteri illata eſt, hac opportuna pœnitentia effugit pœnam *Mev. P.* 8. *Dec.* 125. Sed & is uſurariam pravitatem ad effectum perduxiſſe reque ipſa exercuiſſe dicitur, qui tametſi immodicas uſuras hucusque non percepit, actione tamen eas in judicio petit. *Mev. cit. Dec.* 185. *n.* 1.

§. LXXXII.

De non fraudandis *decimis*, pœna in eam rem propoſita, cavent Georgii Wilhelmi Ducis *Ordinationes Decimarum An.* 1685. & 1692. *Vol. Ordin. Judic. pag.* 651. & 657. item *Ordinatio Decimarum Hannoverana d.* 28. *Apr.* 1703. *Vol. Conſtit. Hannov. No.* LXXVII.

§. LXXXIII.

Qui *aggeres Albis* fluvii doloſe perfodiunt, vel *corrumpunt*, in eos extra ordinem, ſeverius tamen, animadvertitur, per *Ordinationem Aggerum Luneburgicam* §. 28. *Vol. Ordin. Judic. pag.* 646.

§. LXXXIV.

Ludus tesserarum vel chartularum, sive in fortunæ temeritate sola, sive partim quoque in consiliis humanis, positus moribus XX annis omnino interdicitur, majoribus usque eo, ut ne civis primi ordinis lusu perdat ultra unum Thalerum, opifices ultra dimidium, rustici ultra quartam ejus partem. Qui aliter faciunt, V. Imperialibus mulctantur. *Const. Polit. cap.* 40. §. 3. & 4.

§. LXXXV.

Neque minus interdictæ sunt *ollæ fortunæ* & qui Magistratus ea in re conniventem se præbuit, hanc indulgentiam & dissimulationem suam L. Imperialium pœna luet. *Const. Polit. Cap.* 41.

§. LXXXVI.

Atque hæ sunt potissimum, quæ legibus nostris provincialibus definiuntur pœnæ. Adjici poterant plures species, sed quoniam istæ levioris quidem momenti sunt, magis prætermittendas duximus. Venio nunc potius ad eas pœnas, quæ *jure Statutario civitatis Luneburgensis* peculiariter delictis quibusdam impositæ sunt.

§. LXXXVII.

Continentur pœnæ istæ juris Statutarii jam dicti Luneburgensis *parte VIII.* quas nunc secundum ordinem in Statutis servatum percensebo. Prima est *blasphemantium & se ipsos execrantium* pœna, qui quidem, si ex animi consilio hoc faciant, primum carcere octo dierum mulctantur, si iterum faciant, ad palum infamantem exponuntur, vel secundum personarum conditionem mulcta quadam pecuniaria gravi afficiuntur, sed tertio ex civitate relegantur. Veruntamen cum pali infamantis pœna in universo Ducatu nostro abrogata sit (vide supra Cap. XXIII. §. X.) hodie ejus locum extraordinaria alia, veluti ergastuli, vel operis publici ad tempus subibit. Sed qui lascivia

via quadam, vel pessima consvetudine abrepti Deo maledicunt, vel impias execrationes aut diras in alios imprecationes emittunt, arbitrarie puniuntur. J. *Stat. L. P.* 8. *tit*. 1.

§. LXXXVIII.

Qui *caupones* die *dominica*, vel *festa*, horis, quæ sacrorum cultui destinatæ sunt, recipiunt convivas, quibus cerevisiam vinumve adustum potandum porrigant, uno floreno mulctantur secundum *tit*. 2. Sed quæ pœnæ præscriptæ sunt sequenti *titulo* 3. in magiæ crimine, eæ prope omnino conveniunt cum *Constitutione Politica*, de qua vide supra Capitis hujus §. V. & VI.

§. LXXXIX.

Qui *parentes* suos seu legitimos, seu naturales, sive quoque vitricum vel novercam nefarie *occiderunt*, eorum pœna hæc est, ut trahæ alligati tractique ad locum supplicii, rota contundantur, corpusque ipsorum fractum & contusum rotæ imponatur. Sed iisdem parentibus *manus* impias *inferentium* pœna carcer est unius mensis, quo pane simplici & aqua nutriuntur. Iterum hoc facientes pœna corporis afflictiva coercentur, secundum *tit*. 4.

§. XC.

Qui *tumultum* ac seditionem in Magistratum *excitarunt*, capite plectuntur, bonisque suis privantur, secundum *tit*. 5. Omnino *relegatis* a civitate, qui sine venia impetrata illuc *redierunt*, ultimum supplicium dictat *tit*. 6. Quæ pœna in hos quoque scripta est, qui eosdem in ædes suas scientes recipiunt, nec non qui homicidiorum, vis publicæ, furtorum, vel rapinæ reis *receptaculum* vel *aufugiendi adminicula* præbent.

§. XCI.

Qui in discrimine vitæ non constitutus nocendi animo *gladium* in alium *stringit*, viginti marcarum mulctam solvet. *Tit*. 7. Qui destinato animi consilio hominem *occiderunt*, capitis

tis ſupplicio afficiuntur. Sed qui in extremo diſcrimine verſatus ſui defendendi cauſa aggreſſorem interfecit, ab omni animadverſione eſt immunis, eodem modo, ut is, qui verſatus in re licita præter opinionem & propoſitum hominem occidit. *Culpoſum* quidem homicidium relegatione quinquennali luitur. Quo tempore præterlapſo reverſurus ſatis occiſi cognatis facere, & præterea Magiſtratui X. florenos ſolvere debet. Deſtitutus animo occidendi, non nocendi, ſi cæde perpetrata aufugerit & quinquennii ſpatium exul egerit, non prius recipitur, quam de privata ſatisfactione cum occiſi cognatis pactus eſt & Magiſtratui XV. florenos exſolvit. Sed in recenti maleficio deprehenſus ex ſententia JCtorum, cauſa cognita, puniendus eſt. *Tit.* 8. Qui *ſingularibus* aliorum *pugnis* interſunt, neque easdem, cum poſſunt, prohibent, vel qui impulſores ejus rei ſunt, III. Imperialibus mulctantur, ſecundum *Tit.* 9. Qui, quod *aufugientem homicidam retinuerit, convitiandi* hoc animo in quemquam profert, XX. marcas pœnæ nomine exſolvet. *eod. tit.*

§. XCII.

De *vulneribus* eorumque diſtinctione (**kampffbare und ſchlechte Wunden**) ac pœna, latius agit tit. 10. 11. & 12. Qui in *cella* vel *pharmacopolio* civitatis publico injuriam cuiquam ſive realem, ſive verbalem infert, X. florenis mulctatur, ſed rixantes inter ſe in *conviviis nuptialibus*, niſi quis ad rixam provocatus fuerit, LX. ſolidos, **Schillinge**, ſolvent *Tit.* 13.

§. XCIII.

Capitis ſupplicium ſtatutum eſt in illos, qui *munitiones* civitatis laſcivia quadam *tranſiliunt*. *Tit.* 14. Quæ pœna & in eos conſtituta eſt, qui in *ædibus* cujusquam *vim* faciunt, vulnerantes aut dominum ædium, aut uxorem liberosve ejus, aut domeſticos. Quod ſi læſerint neminem exire civitate per

anni

anni ſpatium, & poſthac Magiſtratui XXX marcas ſolvere jubentur *Tit.* 15. Qui *ſclopos* in urbe exploſerunt, III. marcis mulctantur. *Tit.* 16.

§. XCIV.

Injuriam officialibus civitatis, cuſtodibus aut apparitoribus illatam arbitrarie coerceri jubet *Tit.* 17. Sed qui *Magiſtratum*, ratione officii habita, injuria afficiunt, per anni unius ſpatium in Obſtagio detinentur, quo non ante dimittuntur, quam cum mulctam arbitrariam exſolverint, & injurias recantaverint. *Tit.* 20. De reliquis injuriarum generibus agunt *Tituli* 19. 21. & 23. Qua in re cum nihil quidquam ſingulare ſtatutum ſit, hoc loco omittendum illud duximus.

§. XCV.

Qui ad *certamen ſingulare* provocare quenquam auſus eſt, obſtagio unius anni & XX. florenorum mulctæ obnoxius fit. Sed qui provocatus comparuit, unum florenum ſolvet. *Tit.* 18. Quod quidem ita accipio, ut certamen effectu deſtitutum fuerit, vel ut vulneratio aut ſanguinis effuſio nulla acceſſerit.

§. XCVI.

Eſt autem multum, quod differat in pœnæ *adulterantium* ratione habenda inter Jus hoc Statutarium & jus provinciale commune. Illud enim ſuperius ſoluto, qui cum aliena uxore rem habuit, ſupremum ſupplicium dictitat, aliter atque *Ordinatio Politica provincialis*, cujus *Cap.* 6. §. 4. eundem relegari tantum jubet. Adde ſupra §. XVIII. Sed maritus, qui cum fœmina ſoluta concubuit, quinquennium civitate abſtinere jubetur, neque poſthac, niſi exſolutis C. Thaleris recipitur. Suſpectus vero adulterii maritus juramenti purgatorii præſtandi neceſſitatem primo X. florenis redimet. Sed ſi iterum in ejus ſuſpicionem venerit, nec juramento purgatorio auditur, nec oblatis florenis X. ſed in annum civitate abeſſe, eoque lapſo

reverſurus florenos XX. pœnæ quoque nomine dabit. Omnino convictus maritus confeſſusve, iterum cum ſoluta adulterium commiſiſſe, biennium urbe abſtinere jubetur, nec ante recipietur, niſi cum ad frugem ſe reverſos probaverint pœnamque florenorum CC. luerint. Sed qui tertium ſic delinquit, perpetuo relegatur. Uxores vero, ſive cum marito quodam, ſive cum ſoluto adulterii flagitium admiſerint, capitis pœnam luunt, niſi conjux innocens deprecetur ſupplicium, nam tunc quidem uxor perpetuo relegatur, ſed eandem maritus deprecatus ſequi debet. *Tit. XXIV.*

§. XCVII.

In *ſtupri* quidem crimine ſtuprantis pœna florenis XX. conſtat, ſtupratæ X. Sed conſtupratorem inſuper non tantum partum alere, ſed & ſtupratæ, quod vitiavit, tantam pecuniæ ſummam dare oportet, quantam a parentibus ſuis acceptura erat. Sin vero integra fama vitaque non ſit ſtuprata, unum modo florenum & par novorum calceorum accipit. Qui non habent in ære, unde mulctam perſolvant, ii pro ſingulis florenis carceri tres dies noctesque traduntur, aqua & pane nutriendi. Sed alibi gravidatæ mulieri partumque in civitate Luneburgenſi enixæ florenorum X. infertur pœna. Plane quæ partum *exponit*, perpetuo relegatur. *Tit.* 25.

§. XCVIII.

Qui non conſentientibus Parentibus, tutoribus & cognatis, *fœminam rapuit*, ſi hoc fiat ducendi in matrimonium, animo, perpetuo civitate ejicitur, fœmina bona amittit omnia, quæ cognatis ab inteſtato ſucceſſuris deferuntur. Qui libidinis ſatiandæ cauſa fecit, gladio occiditur. Quæ pœna de iis quoque ſumitur, qui abortum procurant, vel amatorium cuiquam poculum præbent, unde ſanitas ſive corporis, ſive animi tollitur. *Tit.* 26.

§. XCIX.

§. XCIX.

Meretriciam vitam agentes & corpore quæſtum facientes perlato VIII. dierum carcere a civitate relegantur. Quæ *proxenetas* quoque, **Kuppler und Kupplerinnen,** *lenonesque* pœna ſequitur. *Tit.* 27. & 28.

§. C.

Inceſti crimen inter aſcendentes & deſcendentes commiſſum ultimo ſupplicio expiandum eſt, niſi ob juventutem, vel aliam cauſam mitius quid decernendum ſit, quod ſi ita eſt fuſtibus cæſi perpetuo relegantur, eodem modo, ut illi, qui in primo vel ſecundo gradu lineæ collateralis inæqualis inter ſe conjuncti, vel *Lev.* XVIII. nominati, in hoc crimen incidunt. Affines, qui extra matrimonium contra jus divinum & Cæſareum inceſtu ſe polluunt, capitis pœnas dant, qui in ſpecie conjugii, fuſtibus cæduntur; in tertio cognationis gradus utriusque lineæ relegantur. *Tit.* 29.

§. CI.

Stuprum violentum, quamvis inceptum, nec perfectum morte luitur. *Tit.* 30. *Conjuges* ſine idonea cauſa a ſe mutuo *divertentes* ad concordiam redigendi ſunt. Si recuſent, conjux nocens relegatur. Quod ſi uterque in vitio ſit, quoad reconciliati inter ſe fuerint, ab urbe diſcedere jubentur. Idem quoque pœnæ genus in *deſponſatos* & ſine juſta cauſa *conſummare matrimonium recuſantes* exercetur. Neque item feruntur in civitate, qui *conjugem* alibi degentem malitioſe *deſeruerunt. Tit.* 31. *Maritus* quoque *verberibus afficiens uxorem* immerentem, in unius marcæ pœnam incidit. Quod ſi verberando ſauciam fecerit, pœna eſt X. florenorum. *Tit.* 32.

§. CII.

Bigamia quidem jure hoc Statutario ſupremo ſupplicio coercetur. Quo ii quoque afficiuntur, qui altero conjuge ſuperſtite alii ſe deſpondent & concubitum peregerunt, quam-

vis non acceſſerit copula ſacerdotalis. Plane concubitu non celebrato, præterquam quod infamia ipſis irrogetur, carcere mulctantur, vel relegatione temporaria. *Tit.* 33.

§. CIII.

Furti quidem pœna ea eſt, quæ Ordinatione Criminali Carolina conſtituitur. *Tit.* 34. Sed *ſacrilegi* auferentes res cultui divino deſtinatas ex ædibus ſacris, item qui eleemoſynas furantur (den Gottes-Kaſten beſtehlen) rota contunduntur. *Tit.* 36. *Salinatores perfidi* eodem modo puniuntur, ut fures *Tit.* 37. *Saccularii* quoque, qui in ædibus ſacris aliorum marſupia ſurripiunt, fuſtibus cæduntur; ſi in foro vel plateis publicis, eadem, qua fures, pœna afficiuntur; ſin in conviviis tam nuptialibus, quam aliis honeſtis, laqueo ſuſpenduntur. *Tit.* 38. Qui *ex alienis hortis fructus ſurripiunt*, pro genere delicti aut carcere, aut pecuniaria pœna, aut relegatione mulctantur. *Tit.* 39. Sed & qui *piſces* ex aliorum piſcinis *furantur*, arbitrarie puniendi ſunt, quæ pœna ad mortem usque extendi poteſt *Tit.* 40. *Veſtes* quoque alienas *ex balneo* ſurripientes, ſi unius floreni pretio conſtant, fuſtibus cæduntur, ſi infra unum florenum, ab urbe relegandi ſunt. *Tit.* 41.

§. CIV.

Omnino qui ex *hæreditate* aliena *jacente* auferunt quidquam, pro ablati quantitate vel fuſtibus cæduntur, vel laqueo ſuſpenduntur. Sed *expilatores hæreditatum*, ſuam partem amittunt, & ſi ad cohæredem, jam pertineat res ſurrepta, duplum ejus reſtituunt. *Tit.* 42. Qui *receptaculum* quoque *præbent* furibus & raptoribus, & res vel furto vel rapina ablatas participant, eadem, quo hi, pœna afficiuntur, quantumvis annum ætatis decimum quartum non ſuperaverint. *Tit.* 43.

§. CV.

Ludi in fortunæ temeritate poſiti omnes prohibentur X. marcarum pœna, quam ii quoque incurrunt, qui ludentibus habita-

habitaculum concedunt. *Tit.* 44. Sed qui in re *depoſita* vel alio modo fidei ipſius concredita perfidiam admiſit, præterquam quod reſtituet, III. marcas pœnæ nomine perſolvet. *Tit.* 45.

§. CVI.

Qui vel rodendo, vel abſcindendo *monetam corrumpunt*, digni judicantur, qui fuſtibus cædantur. Omnino *cudentes falſam monetam*, concremantur, eandem ſcientes *in urbem inferentes*, præterquam quod hæc confiſcetur, fuſtibus cæſi relegantur. *Tit.* 46.

§. CVII.

Qui *juramentum violant* Magiſtratui præſtitum, capitis ſupplicium luunt. Sed qui in criminalibus cauſis falſum teſtimonium tulerunt, pœna talionis coercentur. Plane in civilibus cauſis, ſi falſi teſtimonii dati accuſantur, digiti abſcinduntur, & ut infames relegantur. Sed accuſatore deficiente, ſi nihilominus perjurii convicti ſint, infames modo fiunt. Urphedam quoque violantes gladio occiduntur. Sed & qui obtulit ſe ad jurandum, & antequam juraverit, pejeraturum eſſe convincatur, C. florenis mulctatur. *Tit.* 47.

§. CVIII.

Cavetur quoque X. marcarum pœna conſtituta, ne quis *menſura*, vel *ponderibus* aliis utatur, niſi ſignatis a Magiſtratu. Qui aliter faciunt, vel falſa menſura, ſeu pondere utuntur, pro quovis pondere vel menſura unius marcæ pœnam ſolvet.

§. CIX.

Et hæ ſunt pœnæ, partim quidem duræ ſatis & acerbæ, quas Jus Statutarium Luneburgenſe in delicta conſtituit. Non opus eſt, ut adjiciam, crimina, quorum pœnam Leges noſtræ provinciales, vel Statutum hoc non definierunt, Conſtitutionis Carolinæ, vel juris Romani ſanctionibus ſubjecta eſſe.

CAPVT XXV.

DE ARBITRIO IVDICIS CIRCA POENAS.

Arbitrii Judicis definitio. §. *I.*
Quando cesset. §. *II.*
Quando ei locus sit. *Regula I.* §. *III.*
Regula II. §. *IV.*
Regula III. §. *V.*
Regula IV. §. *VI.*
Regula V. §. *VII.*
Regula VI. §. *VIII.*
Quæ circumstantiæ delictum aggravent, vel minuant. §. *IX.*
De repetitione delicti. §. *X.*
De cumulatione delictorum Regula I. Gradus pœnarum capitalium. §. *XI.*
De exacerbatione pœnæ capitalis. §. *XII.*
De cumulatione delictorum Regula II. Gradus pœnarum nec capitalium. §. *XIII.*
Regula III. §. *XIV.*
Regula IV. §. *XV.*
Regula V. §. *XVI.*
Regula VI. §. *XVII.*
Circumstantiarum genera. §. *XVIII.*
De frequentia delictorum monitum. §. *XIX.*
Circumstantiarum distributio. §. *XX.*
Circumstantia causa & de gradibus culparum. §. *XXI.*
De gradibus doli. §. *XXII.*
De doli præsumtione. §. *XXIII.*
Causarum exempla. §. *XXIV.*
De aggressore in homicidio & moderamine inculpatæ tutelæ. §. *XXV. XXVI.*
Circumstantia personæ delinquentis varia. §. *XXVII.*
Circumstantia ætatis. §. *XXVIII.*
De minoribus. §. *XXIX.*
De senibus. §. *XXX.*
De morbo animi & corporis difficulter curabili, & de ebrietate. §. *XXXI.*
Circumstantia sexus. §. *XXXII.*
Conditio personæ delinquentis. §. *XXXIII.*
De nobilitate. §. *XXXIV. XXXV.*
De peritia artis insignis & magnis in remp. meritis. §. *XXXVI.*

De tortis ultra modum. §. *XXXVII.*
Circumſtantia perſonæ quando pœnam augeat. §. *XXXVIII.*
Eadem quando minuat. §. *XXXIX.*
Circumſtantia loci. §. *XL.*
Circumſtantia temporis. §. *XLI.*
Circumſtantia qualitatis. §. *XLII. XLIII. XLIV. XLV.*
Circumſtantia quantitatis. §. *XLVI.*
Circumſtantia eventus. §. *XLVII. XLVIII.*
De transactione cum parte offenſa. §. *XLIX.*
De transactione in furto. §. *L. LI.*
De expilata hæreditate. §. *LII.*
De crimine reſidui, ſacrilegii & rapinæ. §. *LIII.*
De adulterio, bigamia, ſtupro violento & raptu. §. *LIV.*
De aliis delictis. §. *LV.*
Applicatio dictorum. §. *LVI.*

§. I.

QUæ *delictis* annumerantur, hominum actiones, multa ſæpiſſime continent, & non eodem modo omnes ad remp. referuntur, cujus ſalutem & tranquillitatem nunc magis labefactant, nunc convellunt minus. Exiſtunt igitur delictorum quidam *gradus*, ut aliis alia majora ſint, vel minora, eſtque ſic eorum quædam quantitas moralis. Sed ea, quæ delictum continet, & quibus vel exaggeratur, vel minuitur, *circumſtantiæ* vocantur. Quæ cum multiplices ſæpenumero ſint, fieri non poteſt, ut ſic omnium delictorum pœnæ, quarum itidem gradus exiſtunt multi generaliter a legibus definiantur, vel ut quantum ſingulæ circumſtantiæ ad pœnam vel augendam, vel minuendam conferant, exprimatur. Potius relinquendum hoc eſt Judicis arbitrio, qui pro circumſtantiarum genere convenientem delicto pœnam determinare poſſit. Eſt igitur ARBITRIVM *Judicis circa pœnas* nihil aliud, quam ejusdem poteſtas pro circumſtantiarum genere conve-

convenientem delicto pœnam determinandi. Quod latissime patet, quippe non solum ad extraordinarias pœnas, sed etiam ad capitales & ordinarias pertinet. Sed hoc amplius clarum est, id non pendere a phantasia Judicis, ut, quam velit, pœnam substituat, sed debere esse prudens, hoc est, legibus conveniens, quod nec ultra, nec contra earundem intentionem proferatur. L. 13. *ff. de pœn.*

§. II.

Judicis quidem semper est, judicare secundum leges, cum in causis civilibus, tum maxime in criminalibus. Ex quo manifestum sane illud erit, cum certam lex delicto pœnam ipsa imposuerit, & definiverit clare, aliam substituendi non esse Judicis facultatem, & sic ejusdem arbitrium cessare, nisi nova accedat circumstantia, de qua lex non cogitavit, cujusque in determinanda pœna rationem non habuit. Lex enim quantumvis dura est sequenda, nec ipsa lege mitior duriorve Judex esse potest. Sane *perspiciendum est judicanti, ne quid aut durius aut remissius statuatur, quam causa deposcit, nec aut severitatis aut clementiæ gloria affectanda est, sed perpenso judicio, prout quæque res expostulat, statuendum est.* L. 11. *ff. eod.* Hac ratione, ut exemplum adducam, determinatio pœnæ ob commissum homicidium dolosum a Judicis arbitrio non pendet, quod lex jam definivit certam hujus delicti pœnam, gladium. *Ord. Crim. art.* 137. verbis: **Ein jeder Mörder oder Todschläger, wo er deßhalb nicht rechtmäßige Entschuldigung ausführen kan, hat das Leben verwircket ꝛc. ꝛc.** Haud plane aliter stupri tertium commissi pœna apud nos ex Judicis arbitrio non dictatur, quod delicto isti pænam jam expressam, relegationem, imposuere leges nostræ provinciales in *Ord. Pol.* C. 6. §. 8. Vid. supra Cap. XXIV. §. XXII.

§. III.

§. III.

Tum igitur arbitrio Judicis locus eſt: I.) *Cum lex quidem factum puniri quoddam præcepit, ſed pœnam ſpeciatim non definivit.* Exemplum, quoniam hoc clarius mentem noſtram explicabit, proponam ex *Ord. Polit. Luneb. Cap.* 6. §. 12. quæ parentibus maledicentes liberos, vel iisdem manus impias inferentes ſeverius quidem coerceri jubet (vid. *Cap. præced.* XXIV. §. XI.) ſpecialem quandam certamque pœnam non definit, quamobrem hæc Judicis arbitrio determinatur. Atque eadem Ordinatio noſtra *Cap.* 29. §. 2. copulatos extra territorium per extraneos ſacerdotes ſine conſenſu Principis, vel ejus conſiſtorii ſpeciali puniri jubet (vid. *cit. Cap.* XXIV. §. XXXII.) pœnam non determinat. Inceſtum quoque in lineæ collateralis gradibus prohibitis admiſſum ſeverius vindicari jubet eadem *Ord. Pol. Cap.* 29. §. 43. nec pœnam certam expreſſit. In his igitur, & quæ ſunt hujus generis, pœnam arbitrio Judicis determinari, omni dubitatione caret.

§. IV.

II.) *Si alternative lex delicto pœnam impoſuit, electio pœnæ in arbitrium Judicis collata eſt.* Qualis ſpecies eſt relata in *Ord. Pol. Luneb.* C. 7. §. 22. qua qui homicidæ occaſionem evadendi & ſubſidia ſuppeditant, vel pœna pecuniaria, vel carcere, vel relegatione mulctandi ſunt. Vid. ſupra *Cap.* XXIV. §. XVI. Eadem ratione qui mulcta pecuniaria ad vitam caſtius exigendam perduci non potuerunt, vel a dignitatibus & officio removeri, vel ad palum publice exponi, vel relegari jubet *Conſtitutio Henrici Julii de Januar.* 1593. Vid. ſupra *eod. Cap.* §. XXIV. Eundem in modum decoctores vel capite plecti, vel in opus publicum aut ergaſtulum dari, vel perpetuum relegari vult Conſtitutio noſtra Regio-Electoralis contra decoctores ſ. bancoruptores emiſſa. Vid. *ibid.* §. LXX. In his cauſis & quæ ſunt ejusdem generis, arbitrio a lege Judicis commit-

titur, quam ex alternative dictatis convenientem delicto pœnam judicet, quamque eligere velit, ſed ita tamen, ut mitior in dubio ſit decernenda.

§. V.

III.) *Quoties genus quidem pœnæ lex præſcribit, ſed ejusdem modum & quaſi limites Judici definiendos relinquit, toties modus & limites Judicis arbitrio determinantur.* Qualis ſpecies relata eſt ſupra *Cap.* XXIV. §. XXIX. ex Reſcripto Regio-Electorali, quo Rex clementiſſimus illud quidem expreſſit, ut bigamus ad operas publicas condemnandus ſit, modum hujus pœnæ & limites, utrum ad dies vitæ & in perpetuum, an ſolum ad certos annos condemnandus ſit, id vero Judici ſtatuendum committit. Quæ *eodem Capite* §. LXXV. adducta eſt conſtitutio de decoctoribus relegatione vel datione in opus publicum dignos quidem cenſet eos, qui ſua culpa non ſolvendo exiſtunt, ſed utrum in perpetuum, an in certum tempus, hoc vero arbitrio Judicis dijudicandum relinquit.

§. VI.

IV.) *Arbitrio Judicis locus eſt, ſi lex perſonas quasdam a pœna ordinaria determinata eximit, mitiusque puniri vult, ſed ita demum, ſi Judex mitiori eas pœna dignas judicet.* Hac ratione *Ord. Car. Crim. art.* 158. furi alias honeſtæ conditionis pœnam dictari civilem præcipit, ſed tum demum, ſi ſpes in ipſo emendationis eluceat, verbis: **Wäre aber der Dieb ſo eine anſehnliche Perſon dabey Beſſerung zu verhoffen** *ꝛc. ꝛc.* Ejusdem Conſtitutionis art. 164. furibus juvenibus pœnam quidem laquei ordinariam remittit, ſed ponderandum Judici relinquit, annon ætatem ſuppleat malitia, & utrum delinquens juvenis mitiori pœna dignus ſit, nec ne.

§. VII.

Dixi in definitione §. I. arbitrium Judicis circa pœnas eſſe poteſtatem pro circumſtantiarum genere pœnam delicto convenientem

venientem determinandi. Sequitur inde novum & Vtum axioma: *Quoties ejus generis circumſtantiæ delictum comitantur, quæ hoc minuunt, toties pro earundem qualitate pœnam Judex mitigare ſuo arbitrio poteſt.* Atque hoc idem eſt, quod præcipit *Hermogenianus JCtus* L. 42. ff. *de pœn. Interpretatione legum pœnæ molliendæ ſunt potius, quam augendæ.* Minui vero delictum generatim dixi §. I. ſi ſalus & tranquillitas reipubl. hac ſpecie delicti tantum non labefactatur, uti quidem alia ſpecie. Exemplum hujus rei ſuppeditat Conſtitutio noſtra contra crimen abigeatus lata *Vol.* der Zell. Ger. Ordn. *pag.* 1000. & in *Suppl. Conſtit. provinc. pag.* 76. quæ de iis, qui de ſurrepto equo quid participarunt, vel ad exequendum facinus conſilia dederunt, alio auxilio actuali non interveniente, ſtatuit Judicis arbitrio relinquendum, utrum pœna capitalis, an mitior, videlicet ex earum genere quædam, qua corpus affligatur, decernenda ſit. Verba ea ſunt: **Nach Befinden mit ohnausbleiblicher Lebens- oder wenigſtens ſcharffer Leibes-Straffe beleget werden ſollen.** Vid. ſupra *Cap.* XXIV. §. LVIII Sane qui participant tantum de equo ſurrepto, vel qui ad eum ſurripiendum conſilia modo contulerunt, auxilio actuali nullo interveniente alio, non videntur usque eo ſalutem reip. convellere, ac is quidem, qui equum abigere ipſi audent. Eadem ratione eſt quidem infanticidii pœna ordinaria ſuffocatio, quæ aqua fit. Efficiunt tamen circumſtantiæ, ut ſæpius hæc a Judice pœna mitigetur, & in ejus locum gladius ſubſtituatur.

§. VIII.

VI.) *Sed quoties ejus generis circumſtantiæ facinus comitantur, quæ exaggerant delictum, toties exaggeratio quoque pœnæ in Judicis arbitrio ſita eſt.* Vid. infra §. XII. Exaggerari vero delictum ſeu aggravari generatim dixi §. I. ſi communis reip. ſalus & tranquillitas hac magis ſpecie labefactetur, quam alia.

 Hac

Hac ratione Conſtitutio noſtra **wegen des Heyde-Brennens** in *Suppl.* **der Landes-Ordn.** *pag.* 221. auctorem incenſi ericeti pro qualitate propoſiti & damni vel ultimo ſupplicio afficiendum, vel in perpetuum dandum in opus publicum ſtatuit. Egregie hoc & ſapienter conſtitutum. Quis enim magis imminui reip. ſalutem & tranquillitatem non videt, ſi majus damnum datum, majusve nocendi propoſitum affuerit, quam minori damno dato & minori nocendi propoſito elucente. Sic injuria parentibus & Magiſtratui illata atrocior habetur ideoque graviori animadverſione coercetur, quam alia injuria ob circumſtantiam perſonæ, quæ injuriam, & cui infert. Plane enim e republica eſt, parentes a liberis, a ſubditis Magiſtratum cum reverentia & obſequio coli eorumque auctoritatem ſalvam eſſe. Atque hoc quidem arbitrium augendi pœnam Judicis mirifice ſe exſerit in pœnis arbitrariis, hoc eſt, cum certa delicti circumſtantiis aggravati pœna legibus determinata non eſt, L. 13. ff. *de pœn. Hodie licet ei, qui extra ordinem de crimine cognoſcit, quam vult, ſententiam ferre, vel graviorem, vel leviorem, ita tamen, ut in utroque modo rationem non excedat.* Sed nec ceſſat arbitrium hoc in pœnis ordinariis, quæ a legibus jam ſunt determinatæ. Sic parricidium improprium, quo perſona cognata doloſe interficitur, ſecundum regulam quidem gladio expiatur, L. 9. *ff. de L. Pomp. de Parric.* ſed commiſſum in fratrem, patruum, herum &c. locum dat pœnæ exaſperandæ vel ferro candente, vel damnato trahæ alligato, quam rem exponit *art.* 137. *Ord. Crim. Car.* verbis: **Und mag man in fürgeſetztem Mord, ſo der an hohen trefflichen Perſonen, des Thäters eigenem Herrn, zwiſchen Eheleuten und nahend geſippten Freunden geſchicht, durch etliche Leibes-Straffe, als mit Zangen reiſſen oder Ausſchleiffung vor der endlichen Tödtung um gröſſerer Furcht willen die Straffe mehren.** Eundem in modum cautum eſt de venenariis *art.* 130.

Venit

Venit inde, quod ajunt Doctores communiter, pœnas secundum facti & personarum qualitatem prope omnes in Judicis arbitrio sitas esse. Notatu quidem hoc loco inprimis digna sunt verba L. 11. ff. *de pœn. plane in levioribus caussis proniores ad lenitatem Judices esse debent; in gravioribus pœnis severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi.*

§. IX.

Dixi, augeri pœnam, si salutem & tranquillitatem publicam magis afficiat delictum. Monendum vero hoc loco est, Judici semper esse circumspiciendum, an hac vel illa circumstantia delictum legibus quoque aggravatum videatur, anque leges augmentum vel exacerbationem pœnæ eo casu probaverint. Sæpius enim efficitur, ut salutem publicam magis labefactare videatur delicti quædam species, revera tamen vix labefactet magis, saltim non usque eo, ut propterea augenda sit pœna. Certe si quis mille Imperiales abstulit, durior ei pœna infligi nequit, quam ei, qui furatus est X. Imperiales, sed uterque laqueo vitam finiet. Lex enim in puniendo furto quod X. Imperiales superat, magis quidem respexit tranquillitatem publicam violatam, quam quod privati damni in augenda pœna rationem habuerit. Sane quoque si quis ex æde sacra surripuit res cultui divino destinatas, quarum pretium X. Thaleros excedit, vel etiam nummos eleemosynis consecratos, ei quidem ob circumstantiam loci aliud quam commune furum supplicium dictari nequit, propterea quod *Ordinationis Carolinæ art.* 174. *in fine* tantum cavet, cum sacrilego, quam cum alio fure mitius procedendum non esse. Potius sequens *art.* 175. augmentum pœnæ minus probat, verbis: **Und wie von weltlichen Diebstählen deßhalb gesetzet ist, darum gehandelt werden.** Aliud forsitan dici posset, in decernenda pœna extraordinaria ob sacrilegium in re parvi mo-

 menti

menti factum, (vid. infra §. XL.) vel cum per ſtatuta ſpecialia gravior in ſacrilegos pœna ſcripta eſt, quod factum Statutis Civitatis Luneburgenſis P. 8. *Tit.* 36. vid. retro *Cap.* XXIV. §. CXI. Furti quoque ſimplicis pœna augetur quantitate, ſi ablatæ rei ſumma V. ſolidorum pretium excedat, ſecundum Conſtitutionem Carolinam. Neque tamen idem primum commiſſum ultimo ſupplicio nobis vindicatur, ob eam cauſam, quod lex provincialis noſtra ita cavit, vid. cit. *Cap.* XXIV. §. XXXIX. niſi alia delictum circumſtantia exaggeret. Nec item diminutio pœnæ in arbitrio Judicis poſita eſt, ſi ea legi circumſtantia, quæ minuere facti atrocitatem alioquin ſolet, minus probatur. Sane furi domeſtico, vel abigeo, ſecundum conſtitutiones noſtras (vid. *Cap.* XXIV. §. XLII. & XLVI.) reſtitutio rei domino ablatæ vel equi ſurrepti ad minuendam pœnam nihil conducit, quod in hoc furti genere eam circumſtantiam leges rejecerunt, tametſi eadem in aliis furtis, maxime ſimplicibus ad pœnam minuendam Judices merito adducet.

§. X.

Sed in cauſis exacerbandi pœnas inprimis referenda quoque eſt *repetitio* delicti ejusdem generis, præſertim ſi ob ſuperius delictum jam punitus reus fuit, neque ad frugem rediit. Exemplum ſuppeditat egregium L. 28. §. 3. *ff. de pœn.* de juvenibus, qui ad circum ac theatra, notante *Gothofredo* ad dict. L. *lit.* p. pertinebant, & in civitatibus turbulentibus ſe acclamationibus popularium accommodaverant. De furto iterum vel tertium commiſſo ſatis cautum eſt *Ord. Crim.* art. 158 - - 162. Et furtum quidem iterum commiſſum ſimplex graviorem pœnam requirit, quod unum altero cumulatur, adeo ut ſi hæc duo furta V. ſolidorum valorem attingant, laqueo fur ſuſpendatur. Apud nos & hoc caſu arbitraria pœna obtinet, ſi nondum antea ob prius furtum is fur punitus

ſit.

ſit. Sane furtum tertium commiſſum Imperator art. 162. ſine ulla differentia laqueo vindicandum cenſet. Sed in terris Electoralibus noſtris, niſi ob ſuperiora furta punitus fur ſit, pœna ex arbitrio Judicis pendet. De qua re demum ſi conſtet, laquei ſupplicium decernitur. De ſtupro & ſcortatione repetita dixi ſupra Cap. XXIV. §. XXII. & XXIV. Eadem ratione repetitas vectigalium defraudationes durius coerceri jubet Edictum Electorale de 7. Octobr. 1712. (*Cap. antec.* §. LXXXI.) Judæos quoque mendicantes, quos non potuit deterrere carceris pœna, regiones noſtras iterum intrantes fuſtibus cædi jubent Conſtitutiones noſtræ provinciales. *Ibid.* §. LXXXV. Similiter quos mulcta pecuniaria vel carceris a blaſphemiis & impiis execrationibus non deterruit, eos tandem relegari vult Statutum Civitatis Luneburgenſis P. VIII. Tit. 1. *Ibid.* §. XCVI. Quo ſtatuto tit. 24. cavetur quoque, maritum adulterii cum ſoluta repetiti convictum vel confeſſum gravius, nempe biennali relegatione coercendum, poſtea iterum hoc crimine repetito relegandum eſſe in perpetuum. *Ibid.* §. CV.

§. XI.

Neque vero ſæpe finitur hominum malitia uno ſcelere perpetrato, vel eodem repetito, ſed non ejusdem generis delicta plura *cumulantur*. Quousque tum arbitrium in irroganda pœna Judicis porrigatur, accuratius jam perpendendum. Sed ſunt delicta iſta ab eodem auctore commiſſa vel ſingula capitalia, vel non ſunt. Sit ſuperius illud, tum ſane hæc exiſtit regula: I.) *Concurrentibus duobus vel pluribus delictis, quorum utrumque mortis pœnam ſecum trahit, majus ſupplicium abſorbet minus.* Quid enim? an duobus quis modis pluribusve vita privabitur? In ea igitur ſpecie delicti ſemper atrocioris & pœnæ ſeverioris ratio habetur, quod alienum foret a ratione, ob furtum laqueo primum ſuſpendere reum, quem poſtea ob

homici-

homicidium capite quoque plectere velles. Sed quæ pœnarum capitalium in ordine gravior habeatur, de ea re hoc loco dicenda quædam sunt. Jure Romano secundum L. 28. ff. *de pœn.* quæ *gradus pœnarum capitalium* percenset, primum seu supremum locum obtinet *condemnatio ad furcam.* Sed hoc ob eam rem factum, quod vivicomburii supplicium post furcam demum adinventum est. Et callistratus ipse JCtus *vivicremationem* summum supplicium esse agnoscit. Hanc sequebatur *damnatio ad furcam*, deinde *amputatio capitis.* Usu quoque recepta fuit *ad bestias condemnatio*, ubi devorandi dilaniandique bestiis delinquentes ad stipitem alligati projiciebantur. Qua quidem pœna afficiebantur parricidæ, L. 9. *pr.* ff. *ad L. Pomp. de Parricid.* item qui nummos aureos cuderant, L. 8. ff. *de Falſ.* Neque vero securi, neque telo, neque fusti, neque laqueo, neque item veneno vitam delinquentibus adimi, fas erat, teste *Ulpiano* in L. 8. §. 1. ff. *de pœn.* Sed hodie neque ad furcam, neque ad bestias damnatio in usu est. Et furca quidem a Christianis Imperatoribus cruci substituta fuit, ob venerationem pœnæ crucis a Christo Servatore nostro perpessæ, vid. *Gothofr.* in *not.* ad L. 28. *pr.* ff. *de pœn. lit.* g. Laquei supplicium in odium præsertim furum jam inde ab antiquis temporibus in Germania usurpatur, & teli loco obtinet hodie rota. Veneno plane extingui delinquentes mores nostri non recipiunt. Sed notandum, *exilii* quoque pœnam jure Romano in capitalibus relatam fuisse, quod per eam caput de civitate eximebatur, L. 2. ff. *de Judic. publ.* vid. infra §. XIII. Jure igitur hodierno omnium suppliciorum gravissimum genus est *vivicrematio*, cum quis igne vivus concrematur. Et hoc supplicio afficiuntur incendiarii dolosi, *Ord. Crim. art.* 125. item falsam monetam cudentes, *art.* 111. nec non qui nefandum Sodomiæ crimen admiserunt, *art.* 116. Pontificii quoque oblaturos se gratam Deo victimam existimant, si quos hæreticos

ticos ſua quidem ſententia habent, concremare vivos poſſunt. Quo Genevenſes quoque vitio duobus ante ſeculis ſeſe inquinaverunt, Michaelem Servetum vivum concremantes. Cujus facti hiſtoriam perſecutus eſt ſingulari libello Dnus Abbas, *Laurentius Moshemius*. Poſt ignis pœnam ſuccedit *diſſectio*, **die Viertheilung**, quæ in crimine proditionis adhibetur, *art.* 124. ita ut vel vivi diſſecentur, vel demum amputato capite. Deinde ſequitur ſupplicium *rotæ*, cum quis rota, vel, quod in his terris uſurpari ſolet (vid. ſupra Cap. XXIII. §. I.), clavis ferreis vivus contunditur & enecatur, cujus duplex ratio eſt, videlicet ut initium contundendi vel a pectore fiat, **von oben hernieder**, vel a pedibus, **von unten herauf**. Ac poſteriorem modum ſuperiori ſeveriorem eſſe, conſtat. Hoc ſupplicio afficiuntur latrones, *O.Cr.art.*137. venenarii, *art.* 130. Aſſaſſini, quos vocant, *art.* 137. parricidæ, *Jus Statut. Luneb.* P. 8. *Tit.* 98. Poſt rotam ſuccedit in ordine *laqueus*, quo delinquens de patibulo ſuſpenditur & ſuffocatur, quæ pœna furum eſt, ſed quibusdam quoque locis de iis ſumitur, qui ſingulari inter ſe certamine pugnant. Poſtremo loco venit *gladii* pœna in cauſis homicidii ſimplicis, adulterii duplicati &c. Quod ſi igitur concurrit delictum falſæ monetæ cum latrocinio, pœna ſolum ignis decernitur, ſi cum furto crimen Aſſaſſinii, pœna rotæ; ſi cum homicidio ſimplici furtum, pœna laquei. Atque ita ſemper majori ſupplicio abſorbetur minus.

§. XII.

Sed quamvis multiplicari pœnæ capitales non poſſint, ſed gravior ſemper abſorbeat mitiorem, multiplicatio tamen pœnarum capitalium cum earundem *augmento*, vel exacerbatione neutiquam confundenda eſt. Incidunt enim cauſæ, ut judicis arbitrio relictum ſit, augmentum pœnæ addere. Vid. ſupra §. VIII. Quod augmentum concurrentibus pluribus delictis

licitum eſt, ſi vel unius pœna peculiare quoddam augmentum habet, vel ſi enormitas delictorum concurrentium & atrocitas ſingularem pœnæ rigorem expoſcit. Sic parricidii improprii pœnæ peculiare augmentum adeſt in *Ord. Crim. art.* 137. Simile augmentum pœnæ depoſcit *Jus Statut. Luneburgenſe* P. 8. *Tit.* 4. in parricidio proprie ſic dicto. Vid. *Cap.* XXIV. §. XCVIII. Pariter augmentum pœnæ proditionis addit *Ord. Car. art.* 124. itemque pœnæ veneficii *art.* 130. Sic atrocitas concurrentis delicti incendii doloſi & latrocinii expoſcit ſingularem pœnæ exacerbationem, eodem modo, uti latrocinium concurrens cum cæde fratris. Quæ exacerbandi pœnam ratio hæc eſt, ut reus ante ſupplicium ſupremum ferro, vel forcipe candente aduratur, **wird vorher mit glüenden Zangen gezwicket**, vel ut damnatus trahæ alligatus ad locum ſupplicii pertrahatur, **wird vorher nach der Richtſtatt geſchleiffet.** Nonnunquam aliud quoque augmentum pœnæ accedit, veluti quod amputato capite corpus poſtea rotæ imponatur, vel caput palo affigatur, vel in quatuor partes diſſecetur. Quod revera tamen non eſſe augmentum pœnæ ſolet, ſed potius ordinariæ pœnæ diminutio.

§. XIII.

II.) *Concurrente delicto capitali cum nec capitali, pœna mortis cum corporis afflictiva, tunc eodem modo mors abſorbet pœnam corporis afflictivam.* Sane homicidii crimine & falſi concurrente, prius quam capite plectatur reus, fuſtibus cædi ob falſum nequit, ſed fuſtigationis pœna abſorbetur gladio. Sed fuerunt Romanis pœnarum *nec capitalium* varia *genera* uſitata. Proxima quidem morti erat *condemnatio ad metallum*, deinde *in inſulam deportatio* L. 28 *pr. ff. de pœn.* Atque illa ſuperior continuit quoque damnationem in *calcariam*, vel *ſulphurariam* L. 8. §. 10. ff. *eod.* Erat quoque diſtinctio eorum, qui ad *metallum*,

&

& eorum, qui in *opus metalli*, nec non qui in *ministerium metallicorum* damnabantur, quam differentiam notavit Ulpianus in allegata L. 8. §. 6. & 8. Sed & moris erat damnare reos ad *ludum venatorium*, L. *cit*. 8. §. 11. & 12. item *fustibus cædere*, de qua pœna Callistratus L. 28. §. 2. ff. *eod.* monet, eos duntaxat, qui liberi sunt, fustibus cædendos, & tenuiores quidem homines; servos cæsos quidem flagellis, non fustibus, patet ex L. 10. ff. *eod.* Deportatio in locum aqua & igni interdictionis successerat, L. 3. ff. *ad L. Jul. de Pecul.* & L. 2. §. 1. ff. *de pœn.* & relegatione gravior erat. Sive enim in perpetuum quis, sive ad tempus relegaretur, aliter atque cum deportaretur, & civitatem Romanam & patriam in liberos potestatem, & testamenti factionem & omnia omnino jura sua & bona, præterquam si ei ademta fuerint, retinuit. *Brisson. de Verb. Sign.* voce: *Relegatorum.* Ac fuisse sane *relegatione* graviorem deportationis pœnam, probat quoque L. 28. §. 13. ff. *de pœn.* qua is, qui relegatus in insulam excesserit, postea in insulam deportari jubetur. Omnino antiquis Romanorum moribus deportatio in usu non erat, sed missio in exilium, quæ pœnæ capitalis species habebatur, vid. supra §. XI. & cujus hæc ratio erat, ut alicui interdiceretur in civitate aqua & igni, quibus necessariis vitæ subsidiis ademtis, ultro is eligere exilium cogebatur. Atque in horum exulum arbitrio erat, ut viverent, ubi vellent. In aliam vero civitatem adsciti capitis deminutionem mediam patiebantur Romæ. Sed hæc ad pœnam relegationis nostris moribus receptam applicari nequeunt. Postea Augustus metuens sibi periculum ab exulibus passim dispersis, deportationem invenit, hac ratione, ut damnati compedibus vincti navibusque impositi traderentur servis publicis, qui eos in insulam quandam deportarent, in qua ad tempus, vel in perpetuum commorandum ipsis esset. Vid. *Heinecc. Synt. Ant. Jur. Rom. tit. de Cap. deminut.* Quæ quidem depor-

tatio

tatio nisi ab ipso Principe ejusque Præfecto Urbi decerni non poterat. L. 2. §. 1. ff. *de pœn.* Atque ii deportati quin & damnati in *opus publicum* ea, quæ juris civilis erant, non habebant, sed quæ juris gentium erant, solum retinebant. L. 17. §. 1. ff. *eod.* Sed in crimine læsæ majestatis relegatorum ac deportatorum hoc similis fuit conditio, quod utrisque statuæ detraherentur L. 14. ff. *eod.* Sed condemnare ad carcerem, vel ut rei in vinculis detinerentur, Præsidibus interdictum erat, quod carcer ad continendos homines adhiberetur, non ad puniendos, L. 8. §. 9. *eod.* Verum *hodie* pœnarum nec capitalium longe alia est ratio. In his quasi eminet *amputatio linguæ Ord. Crim. art.* 197. statuta *Rec. Imp. de* 1548. in blasphemantes, & *manus*, vel *digitorum abscissio*, qua quidem pœna abscissionis digitorum *Ordinatio Carolina* art. 107. perjuros afficiendos præcipit. *Aures* quoque *abscindere* saccularüs quorundam locorum moris est, *O. Cr. art.* 197. Sed hæc pœnarum genera in terris nostris vel plane non, vel certe haud ita multum usurpantur. *Fustigatio* plurimorum Germaniæ locorum usu servatur, sed in terris nostris Regio-Electoralibus cum pœnis infamantibus reliquis penitus abrogata est. Vid. *Cap.* XXIII. §. II. JCtus enim fustium ex justa causa acceptos jam apud Romanos existimationis labem attulisse, liquet ex cit. L. 28. §. 1. ff. *de pœn.* Damnatio in metallum apud nos cessat, sed quæ fit in *opus publicum* vel *munimenti* cujusdam, vel *ergastuli*, in his regionibus usu viget, & in fustigationis locum apud nos successit. Sed *expositio ad palum infamantem*, die Stellung an den Schand-Pfal, Kack oder Pranger, eadem ratione apud nos abrogata est, & substituta in ejus locum condemnatio in opus publicum temporaria, quemadmodum perpetua in fustigationis locum. *Bannitorum Imperii*, seu *proscriptorum*, die in die Reichs-Ober-Acht erkläret werden, durissima hodie est conditio, de qua dixi supra *Cap.* XII. §. IX. Sunt, qui

qui hos etiam, quæ juris gentium ſunt, amittere atque lædi & occidi impune poſſe autumant, ſed hos egregie falli, c. l. a nobis ſupra dictum eſt. Melioris quidem conditionis ſunt *Relegati*, qui quemadmodum apud Romanos olim, ita apud nos omnia & jura ſua & bona in loco, unde relegati ſunt, retinent, adeo ut familiam ipſis quoque eo in loco habere liceat. Neque infamat relegatio ipſa, ſed delictum, ob quod decreta eſt, niſi infamiæ, vel delicti infamantis mentio in ſententia expreſſa injecta ſit. Exilii quidem apud Romanos & hodiernæ, relegationis differentiam jam ſupra hoc §. notavi. *Sed expoſitio ad palum punitorium* (Straff-Pfal) uſu apud nos retentus eſt, & quod ad *carcerem* pertinet, is hodie non ſolum ad continendos facinoroſos, verum & ad puniendos adhibetur, adeo ut nonnunquam perpetuus carcer decerni ſoleat.

§. XIV.

Atque hoc modo intelligitur, varia eſſe genera poenarum nec capitalium, aliis affligi corpus, aliis non affligi. De ſuperiori genere hanc regulam ex uſu fori deſumtam damus: *Quoties III.) concurrunt duo delicta, quorum utrumque meruit poenam corporis afflictivam, toties ſufficit una decernique poena ſolum durior debet.* Hac igitur ratione ſi concurrant crimina perjurii & falſi, amputatio digitorum cum fuſtigatione ſimul decerni nequit, quamvis utramque cumulari poſſe, ſtatuant alii, ſed contra fori conſuetudinem. Sane augmentum eo caſu pœnæ corporis afflictivæ adjici, non refragabor. Neque eſt res inſolita, fuſtigatorum dorſo ſtigma quoddam inuri, quod eos jam ſub lictoris vel carnificis manibus verſatos comprobet. Germanice: **ſie werden gebrandmarcket.** Quæ ſtigmatis inuſtio olim apud Romanos quoque in Calumniatoribus fieri ſolebat, quorum fronti litera K. inurebatur. *Dn. Heinecc. Synt. Ant. Rom. tit. de pœna temere litig. Calvinus Lex. Jurid.* voce: *Calumniæ*

pœna p. m. 133. *Edit. Hanov. de Ao.* 1619. Sed & quibusdam locis moris eſt, ut fuſtibus cædendi palo antea infamanti per ſpatium unius horæ vel amplius alligentur, quo cognoſci ab omnibus poſſint.

§. XV.

IV.) *Quoties concurrit pœna corporis afflictiva cum leviori pœna, puta carceris vel mulctæ pecuniariæ, ſuperior illa hanc abſorbet.* Atque hæc quoque regula uſu fori ſtabilita & comprobata eſt. Hinc exempli loco falſi crimine & injuriarum delicto concurrente, fuſtigatio, quæ eſt pœna falſi, carcerem injuriarum pœnam abſorbet. Neque vero corporis afflictiva abſorbetur pœna relegationis, ſed hæc ſemper cum abſciſſione aurium, vel digitorum, ubi ea adhuc uſu retenta, quin & cum fuſtigatione perpetuo conjuncta eſt.

§. XVI.

V.) *Quoties delicta plura leviora concurrunt, quæ ſingula pœna corporis non afflictiva conſequitur, toties una quidem imponitur ſolum, ſed ita, ut concurrentibus pluribus delictis exacerbari poſſit.* Hoc modo relegatio exacerbatur, ut relegandus palo infamanti antea alligetur. Eadem ratione relegatio in concurſu plurium delictorum in perpetuum fieri poteſt, quæ aliter ob unum delictum temporaria modo erat. Sed & ſæpius fit, ut relegandus carceri antea ad tempus mancipetur & tum relegetur. Apud nos item ſæpius accidit, ut ad tempus damnati in opus publicum vel ergaſtulum poſtea relegentur. Jure quoque Statutario Civitatis Luneburgenſis in tempus relegati finitis relegationis annis aliter in civitatem non recipiuntur, quam exſoluta mulcta quadam pecuniaria. Cujus rei exempla adduxi ſupra *Cap.* XXIV, §. C. CII. CV. Atque illud etiam pœna obſtagii impoſita fieri ſolet, vid. *eod. Cap.* §. CIII. & CIV.

§. XVII.

VI.) *Si conncurrunt delicta, quorum ſingula vel relegationem,*

nem, vel dationem ad opus publicum in tempus inferunt, vel addendi sunt singularum pœnarum anni, vel in pœnam perpetuam convertendi. Atque hoc extremum tum fieri debet, si anni sibi invicem additi decennium excesserint L. 8. §. 7. *ff. de pœn.* Est hæc regula intellectu facilis, nec desunt exempla ei, qui in usu fori versatus est. Quamobrem non opus est, eam exemplis huc adductis explanare.

§. XVIII.

Sed quoniam supra dixi, arbitrium Judicis circa pœnam vel minuendam, vel exacerbandam consistere in vario circumstantiarum genere, sequitur ut jam indagandæ sint hæ *circumstantiæ* potiores, quatenus cum legibus conveniant, vel minus, & quatenus efficiant, ut arbitrium Judicis existat. Atque in hoc argumento facem nobis prælucet *Claudius Saturninus JCtus in L.* 16. *ff. de pœn.* Cujus quidem legis verba cum sint admotum memoratu digna, illa huc ipsa transcribere, operæ pretium esse futurum, existimo. Sed hæc ita se habent: *Aut facta puniuntur, ut furta cædesque: aut dicta, ut convicia & infidæ Advocationes aut scriptura, ut falsa & famosi libelli: aut consilia, ut conjurationes & latronum conscientia: quosque alios suadendo juvisse, sceleris est instar.* 1. *Sed hæc quatuor genera consideranda sunt septem modis, CAVSA, PERSONA, LOCO, TEMPORE, QVALITATE, QVANTITATE & EVENTV.* 2. *CAVSA, ut in verberibus, quæ impunita sunt a Magistratu allata, vel parente, quoniam emendationis, non injuriæ gratia videntur adhiberi: puniuntur, cum quis per iram ab extraneo pulsatus est. PERSONA dupliciter spectatur, ejus, qui fecit, & ejus, qui passus est. Aliter enim puniuntur ex iisdem facinoribus servi, quam liberi, & aliter, qui quid in dominum parentemve ausus est, quam qui in extraneum, in magistrum, vel in privatum. In ejus rei consideratione ætatis quoque ratio habeatur.* 4 *LOCVS facit, ut idem vel furtum, vel sacrilegium sit, & capite luendum, vel minore supplicio.* 5. *TEMPVS*

PVS Discernit emansorem a fugitivo, & effractorem vel furem diurnum a nocturno. 6. *QVALITATE cum factum vel atrocius vel levius est, ut furta manifesta a nec manifestis discerni solent, rixæ a grassaturis, expilationes a furtis, petulantia a violentia. Qua de re maximus apud Græcos Orator Demosthenes sic ait:* Ου γαρ ἡ πληγὴ παρέστησεν τὴν ὕβριν, ἀλλ' ἡ ἀτιμία, ἐδὲ τὸ τύπτεσθαι τοῖς ἐλευθέροις ἐςὶν δεινὸν καίπερ ὂν δεινὸν, ἀλλὰ τὸ ἐφ' ὕβρειν, πολλὰ γὰρ ἂν ποιήσειεν ὁ τύπτων, ὦ ἄνδρες Αθηναῖοι ὧν ὁ παθὼν ἔνια ἐδ' ἂν ἀπαγγεῖλαι δυνύαιτο ἑτέρω, σχήματι, τῷ βλέμματι, τῇ φωνῇ ὅταν ὡς ὑβρίτων ὅταν ὡς ἐχθρὸς, ὑπάρχων, ὅταν κονδύλοις, ὅταν ἐπὶ κόῤῥης ταῦτα κινεῖ, ταῦτα ἐξίςησιν ἀνθρώποις ἀυτῶν ἀηθεῖς ὄντας τῦ τροπηλακίζεσθαι. *i. e. Non enim plaga repræsentat contumeliam, sed dedecoratio. Neque verberari liberis est malum, quamvis est malum, si in contumeliam. Multa enim utique facit, qui verberat, o Viri Athenienses, quorum, qui patitur, quædam neque annuntiare poterit, alii schemate, aspectu, voce, cum verberat, ut contumeliam inferens, cum ut inimicus existens, cum verberat fustibus, cum in pupilla. Hæc movent, hæc extra se constituunt homines eorum non assuetos existentes, ut conviciarentur.* 7. *QVANTITAS discernit furem ab abigeo, nam qui unum suem subripuerit, ut fur coercebitur; qui gregem, ut abigeus.* 8. *EVENTVS spectatur, ut a clementissimo quoque facta. Quanquam lex non minus eum, qui occidendi hominis causa cum telo fuerit, quam eum, qui occiderit, puniat, Et ideo apud Græcos exilio voluntario fortuiti casus tuebantur, ut apud præcipuum Poetarum scriptum est:*

Εὖτε με τυτθὸν ἐόντα Μενότιος ἐξ Οπόεντος
Ἤγαγεν ἡμέτερον ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς
Ἤματι τῷ ὅτε παῖδα κατέκτανον Αμφιδάμαντος
Νήπιος, ἐκ ἐθέλων, ἀμφ' ἀςραγάλοισι χυλωθείς.

id est;

Quando me parvum existentem Menoetius ex Opunte
Duxit ad vestram domum parricidium ob triste
Die illo, cum filium occidi Amphidamantis
Imprudens, invitus circa talos iratus.

9. Eve-

9. *Evenit, ut eadem ſcelera in quibusdam provinciis gravius plectantur, ut in Africa meſſium incenſores, in Myſia vitium, ubi metalla ſunt, adulteratores monetæ.* 10. *Nonnunquam evenit, ut aliquorum maleficiorum ſupplicia exacerbentur, quoties nimium multis perſonis graſſantibus exemplo opus eſt.*

§. XIX.

Sed de hac lege, & quidem ejus §. 10. hoc quaſi præfaminis loco monendum eſt, creſcentibus delictis eorundem pœnas exacerbari recte, verum usque eo non proferri Judicis arbitrium. Quin potius, cum ob *frequentiam* delictorum gravius quodquam exemplum ſtatuendum eſt, determinatio gravioris pœnæ ad officium Principis pertinet. Sed quod *Grotius* ait in libro ſuo de J. B. & P. conſvetudinem & frequentiam facinoris detrahere nonnihil de culpa, & hoc in judiciis ſequendum eſſe, verum quidem omnino non eſt. Neque enim conſvetudo facti illiciti per ſe culpam poteſt minuere, propterea quod multitudo delinquentium delicto præſidium vel patrocinium parere nequit, niſi frequentiam delicti connivendo approbaverit Princeps, quod fit, ſi hoc a ſubditis delictum ſæpius committi novit, impunitum nihiloſecius relinquit. Atque inde eſt, quod pœnam in receptatores aleatorum & luſorum conſtitutam hodie ceſſare, exiſtimant multi, quod non tantum in plerisque locis conſpiciantur tolerenturque luſores, ſed quod in aulis quoque Principum ipſis, ſpectantibus Principibus, quin colludentibus interdum, exerceantur luſus fortunæ & mixti. Cui quidem ſententiæ album calculum vix eſt, ut adjiciamus. Nam quæ in aula ſua fieri permittit Princeps, animi remittendi cauſa, ea ab aliis in exemplum trahi nequeunt. Quatenus ludi tam fortunæ, quam mixti tolerentur in Ducatu noſtro Luneburgico, patet ex *Ord. Polit. Cap.* 40. nimirum animi relaxandi, non lucri quærendi cauſa. Unde ruſticus

 prohibe-

prohibetur ultra quartam partem Imperialis lusu perdere, opifex ultra dimidium, alii cives ultra unum Imperialem. Atque idcirco Cancellaria quoque Cellensis secundum Ordinationem Politicam nuperrime mulctam dictare non dubitavit non tantum civi cuidam plebejæ conditionis, qui consvetudinem ludendi quandam assumserat, sed & lusorum receptatori. Plane quæ amplius tradit JCtus in §. 9. L. *cit.* 16. de sceleribus iisdem in quibusdam provinciis gravius puniri solitis, recte quoque habent se, si Principis arbitrium spectes. Gravioris enim exempli edendi necessitas toties incumbit Principi, quoties hoc poscunt allectamenta ad delinquendum, consvetudo & facilitas. Unde ob facilitatem furandi leges nostræ provinciales severiorem pœnam imposuerunt furibus domesticis, & qui ex pascuis equos abigunt, quam furibus aliis. Sed hæc quoque ad arbitrium Principis pertinent, non item Judicis.

§. XX.

Secundum allegatæ Legis §. 1. quæ Judicis circa pœnas arbitrio locum dant circumstantiæ, sunt septem. CAVSA, PERSONA, LOCVS, TEMPVS, QVALITAS, QVANTITAS, & EVENTVS. Sed quatenus singulæ arbitrium Judici concedant vel ad augendam pœnam, vel ad minuendam, id vero nunc latius persequemur, & singulas seorsum examinabimus.

§. XXI.

In omnibus facti circumstantiis eminet quasi & superiori loco conspicitur CAVSA, seu intentio, ob quam quid vel commissum est, vel omissum. Animus enim & προαίρεσις efficiunt demum verum delictum. Quamobrem probe dispiciet Judex, utrum quid commissum sit ex *dolo*, hoc est, ex animo & intentione delinquendi, an ex *lascivia* quadam L. 4. §. 1. ff. *ad*

L. Corn.

L. Corn. de Sicar. L. 6. §. 7. ff. *de re milit.* quam Marcianus vocat *luxuriam* L. 11. ff. *incend.* & Carolus V. Imperator **eine Geilheit** *art.* 146. an denique *culpa*, **aus Unvorsichtigkeit und wieder des Thäters Willen,** nam sic plane eam definiit Imperator c. l. Sane hæc distinctio in omni fere delictorum genere, & inprimis in definienda pœna multum utilitatis præstat. Homicidii crimen exemplo erit, quod commissum deliberato animo atque ex proposito suscepto vindicatur rota, *Ord. Crim. art.* 137. sed patratum ex iracundia, nec deliberato animo, punitur gladio, *cit. art.* 137. plane ex lascivia, vel culpa commissum, **aus Geilheit oder Unvorsichtigkeit,** pro gradu culpæ & lasciviæ mitius punitur. *Ord. Crim. art.* 146. Sed a culposo quoque homicidio separandum est, quod casu fit, neque ulla interveniente hominis culpa accidit, veluti si quis arborem in suo fundo putaverit, & hæc decidendo hominem vita privaverit. §. 5. J. *de L. Aquil.* Qui quidem extra omnem pœnam est, nisi casum præcesserit culpa, ut si quis tectum reficiens signum, quo prætereuntes periculi commoneantur, solitum non exposuerit, & prætereuntium quis ex tegula cadente interfectus sit. Qui quidem, quod signum solitum non exposuerit, pœna quadam extraordinaria casum luet. Sed inprimis in delictis culposis definiendaque eorum pœna admissæ in delicto culpæ gradus sollicite Judici perpendendus est. Aliter enim punitur culpa levis, aliter culpa lata, quanquam hæc in criminibus dolo æquiparatur nunquam. L. 7. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* Sed ut dolus culparumque gradus eo dijudicentur melius, *exemplo* rem illustrabimus. Constituamus igitur, quendam in loco, ubi vulgo iter fit, arborem putare dataque opera ramos dejicere in hominem prætereuntem, quo facto hic vita privetur, is sane *dolum* committit. Constituamus alio modo, quendam in eodem loco arborem putare, ramum vero citra intentionem ejus decidendo hominem prætereuntem

 necare.

necare. Sane is *culpæ latæ* reus erit. Nam proclamandum ei erat, ut prætereuntes cavere ſibi potuiſſent. L. 7. ff. *eod.* Qui proclamavit quidem, ſed non in tempore, ut prætereuntes devitare poſſint ramum decidentem, *levis culpæ* reus fit. Sed qui in fundo ſuo, ubi vulgo iter non fit, arborem putat, ramus autem decidendo hominem enecat, is committit *culpam leviſſimam.* Diligentiſſimus enim quisque & eo caſu proclamat, quod contingere poteſt, ut nobis inſciis alii homines in fundo noſtro ambulent. Sed hujus quidem culpæ leviſſimæ ſecundum §. 5. J. *de L. Aquil.* in pœna determinanda ordinarie ratio non habetur, niſi in iis, qui certam artem profitentur, ut puta in Medico, qui ſi ex imperitia male curaverit ægrotum, extra ordinem puniri poteſt non ſolum ob dolum & culpam latam, *Ord. Crim. art.* 134. verum & quodammodo ob leviſſimam, quantumvis in omittendo culpa conſiſtat. L. 8. L. 27. §. 29. ff. *ad L. Aquil.* Sed hæc ſpecies raro continget. Hoc enim reliquis artem certam profitentibus feliciores ſunt medici, quod errores ipſorum terra tegat, merita ſol illuſtret. Quanquam noviſſime *Edicto Regio de* 8. *Maji* 1731. cautum eſt, ut ne quis omnino medicinæ quamvis Doctor, niſi medicorum aulæ judicio comprobatus artem medicam exercere audeat; Chirurgi vero per Phyſicum Urbanum, ad eam rem ſpeciatim jurejurando obſtrictum, & unum duosve Chirurgos alios examinandi ſunt, aliter exercentes artem Chirurgicam pœnam XX. Thalerorum incurrunt, quin, ſi res ita videatur corporis quoque pœna afflictiva afficiuntur. Sed & qui arti, quam non intelligunt, ſe immiſcent, ſi damnum dederint, culpæ leviſſimæ nomine tenentur, ut Chirurgi medicamenta ægrotantibus interna præbentes ſeque arti medicæ, quam non intelligunt, ingerentes, ex culpa leviſſima tenentur. *Reſcr. Regim. Cell. de* 8. *Dec.* 1688. *Vol.* **der Gerichts-Ordn.** p. 988. quod noviſſimo *Reſcripto generali Regiminis Regii de* 10. *Sept.* 1727. repetitum eſt.

Aliud

Aliud exemplum hoc eſt. Conſtituamus, data opera & conſilio quendam ſtramini in ſtabulo poſito ignem immiſiſſe. Sane is *doli* reus erit. Sed qui candela fiſtulave fumante ſtramen accedens ignem ei præter intentionem immiſerit, is in *lata culpa* verſabitur. Plane qui candela laternæ incluſa fiſtulave fumante ſed operculo conte&ta acceſſerit ſtramen, ſed nihilo tamen ſecius incendii cauſa extiterit, *levi culpa* tenetur. Eadem ratione committit *latam culpam*, qui quem e longinquo conſpexit aggreſſorem interfecit, propterea quod aggreſſorem evitare debuerat. Sed qui ex improviſo incidit in aggreſſorem, & cum fuga ſibi conſulere potuiſſet, interfecit illum, *in levi culpa* eſt. Alia quidem latæ levisque culpæ exempla adduxit *Imperator* in *Ord. Crim. art.* 146. Atque iidem gradus diſtinguendi quoque ſunt in delictis, quæ ex laſcivia, ſeu luxuria perpetrantur, eſtque hæc laſcivia gravior culpa, quæ proxime accedit dolo. L. 11. ff. *de incend.*

§. XXII.

Sed non ſolum culpæ, verum etiam *doli gradus* quidam ſunt. Sane qui blanditiis & perſvaſionibus ad laſciviam & ſtuprum inducit puellam, omnino in dolo eſt, at qui inebriatam reddit, vel violenter comprimit, in majori dolo verſatur. Eadem ratione mulier ſine juſta cauſa ad muſeum juvenis accedens eumque ad adulterium geſtibus laſcivis inducens, dolum utique committit, ſed quæ juvenem libidinis cauſa rapit, ejus major dolus exiſtit. Plane qui animo vulnerandi non deſtitutus letale vulnus præter intentionem infligit, ex quo mors ſequitur, minorem doli gradum committit, quippe in re illicita conſtitutus ad menſuram vulnera non dari, perpendere debuerat. Sed qui ex iracundia, vel in rixa hominem occiderit, majoris doli reus eſt. Omnino tamen qui ſimulatione amicitiæ, neque rixa, neque odio interveniente hominem ex pro-

poſito ſuſcepto occidit, in eo maximus doli gradus eſt. Eadem ratione, qui luxuria, luſu, magnificentia extra modum nimia, ſplendidis extructis ædificiis vel denique re familiari male adminiſtrata bona ſua profundentes decoxerunt, utique in dolo ſunt, vid. *Cap.* XXIV. §. LXX. at omnino in majori dolo eos verſari exiſtimamus, qui inſuper, quod reliquum ex bonis ipſorum eſt, occultant, vel aliorſum transferunt, ut nihil plane adſit, unde creditoribus ſatis fieri poſſit. *Ibid.* §. LXXII.

§. XXIII.

Omnino quoties quis in re illicita verſatur, toties *dolus* & delinquendi animus adfuiſſe ſemper *præſumuntur*, niſi aliud ſvadeant circumſtantiæ, vel reus animo ſe delinquendi deſtitutum fuiſſe, probaverit. In homicidio inprimis animus occidendi colligitur ex armis aliisve, quæ ad occidendum apta ſunt (§. 5. J. *de publ. jud.*) inſtrumentis adhibitis. L. 1. §. 3. ff. *ad L. Corn. de ſicar.* Sed qui alium percuſſit cucuma (de qua voce videantur *Briſſonius* & *Calvinus*) ſecundum §. cit. 3. vel palma, ut mors inde ſecuta ſit, eum quidem animum occidendi habuiſſe firma quædam atque omnino certa præſumtio non adeſt. Similiter oſculum virgini præbens, non illico libidinis, ſed potius ludendi gratia feciſſe conjicitur, qua quidem in re ætas noſtra a ſeveritate priſtini ævi multum receſſit, præſertim ſi inter perſonas cognatas deoſculatio facta ſit. Sed & interdum ea conjectura vel præſumtio doli & animi delinquendi tam firma eſt, ut probationem contrarii nullam recipiat. Ut ſi quis in alium verba per ſe contumelioſa protulit, probaturus, verba hæc contumelioſa ſine injuriandi animo dixiſſe, non auditur. Item qui animo vulnerandi non deſtitutus, præter intentionem impreſſit vulnus, ex quo mors conſecuta eſt, non adjuvatur exceptione deficientis animi occidendi, quamvis probare eam

vellet,

vellet, propterea quod jam vulnerando in actu illicito versatur, L. 1. §. 3. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* & nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. L. 15. ff. *eod.* Quod exemplum infra quoque in loco eventus latius tractabo, & quæ plura de eo, qui in re illicita versatus fuerint, dicenda restant, proponam.

§. XXIV.

Atque *intentionis* inprimis in omni facto ejus, qui agit, rationem habendam esse, monui jam §. XIX. Quamobrem Judex, qui legitimo exequitur modo sententiam suam & in debitoris bona creditorem immittit, neque vim debitori, neque injuriam infert. Satis enim suo officio facit. Eodem modo Magistratus contra subditum jurisdictionem exercens suam, nisi de facto processerit, injuriam non affert. Sacerdos quoque admonens parochianum de sceleribus ipsius, injuria eum non afficit, neque animus injuriandi ullus præsumitur, nisi antequam eum arbitris remotis commonuerit, publice illum pro concione ita perstrinxerit, ut, quem increpet, nemo sit, quin intelligat. *Rec. Imp. de An.* 1530. §. **Wir haben** 55. *Rec. Imp. de An.* 1542. §. 41. Sed & præceptor castigans discipulum, injuriam ei non affert, dum modum in castigando non excedat. Hac quoque ratione rei alienæ contrectatio non omnis est furtum, sed hæc demum, quæ fit lucri faciendi animo. §. 1. J. *de Obl. quæ ex del.* L. 1. §. 3. ff. *de Furt.* Unde creditor rem sibi pignoratam auferens contrectare, saltim furari non videtur, sed pignori suo inhærere. L. 55. ff. *eod.* De vi tamen utique tenetur. L. 7. C. *Unde vi.* Hinc in furto quoque domestico pœna apud nos ordinaria cessat, cum esculenta famulus subtraxit, non lucri faciendi causa, sed comedendi. Vid. *Cap.* XXIV. §. XLI. De esculentis necessitate famis surreptis Constitutionis Carolinæ articulus 166. cavet, ut si ex-

tinguendæ

tinguendæ famis gratia auferantur, neque alicujus ſint momenti, omnis pœna ceſſet. Quanquam non omnis neceſſitas famis excuſat, veluti ſi quis per ignaviam, & quod laborando victum quærere nolit, in famis neceſſitatem inciderit, quem quidem articulus 166. Ord. Crimin. nullo modo adjuvat. Add. *Puſendorfius de Jure Nat. & Gent.* L. 2. C. 6. §. 5. 6. 7. 8. Neque item omnis quoque effractio furtum efficit. Nam qui injuriæ cauſâ januam effregit, quamvis res inde per alios amotæ ſint, furti quidem non tenetur. L. 53. *pr.* ff. *de Furt.* Sed & qui fores meretricis effregit libidinis cauſa, neque ab eo introducti fures, ſed aliter ingreſſi res meretricis ſecum abſtulerunt, furti actione non tenetur. L. 30. ff. *eod.* Haud abſimili quoque ratione qui non libidinis gratia, ſed ob aliam cauſam fœminam abducit, affici pœna raptus nequit. L. *un.* C. *de raptu virg.* L. 39. ff. *de Furtis*, L. 82. ff. *eod. Ord. Crim. art.* 118. Famulo quoque domeſtico cuidam, qui rem domini, mercedis ſibi debitæ conſequendæ gratia, amoverat, Cancellaria Cellenſis pœnam ordinariam dictitare non ſuſtinuit, quod animus lucri faciendi deficeret. Sed & qui cum fœmina rem habuit, quam uxorem eſſe, ignoravit, pœna adulterii non tenetur, propterea quod animus adulterium committendi ab illo abfuit. Canoniſtæ quidem Simoniæ obtegendæ gratia varias limitationes excogitarunt, veluti, utrum citra conventionem & demum accepto beneficio, an pro ipſo beneficio vel pro labore animi & corporis, an ex neceſſitate, ne quis ab Epiſcopo in munere ſuo turbetur, an demum datum quid ſit conſvetudine permittente. Vid. *Link. Comm. ad Decretal.* L. 5. T. 3. §. 11. Sed omnes tandem id agunt, ut pravitas criminis obtegatur, unde rectius rejiciuntur. Rapinæ quoque & latrocinii crimen augetur & qualificari dicitur, cum raptor lucri cauſa occidit hominem, quippe in hunc pœna rotæ ſcripta eſt *Ord. Crim. art.* 137. Plane homicidium, quod lucri & prœmii conſequendi

cauſa

cauſa fit, *Aſſaſſinium* eſt, quod ſeverius quam aliud homicidium vindicatur. Denique in crimine repetundarum pecuniam accepiſſe non ſufficit ex parte accipientis, ſed requiritur quoque, ut habita pecuniæ acceptæ hujus ratione officio ſuo minus ſatisfecerit. L. 4. ff. *ad L. Jul. repet.* Quod ſi pecuniam accepit, ad hominem innocentem ultimo ſupplicio tradendum, capitis pœnam dabit. L. 7. §. f. ff. *eod.*

§. XXV.

Atque inprimis circa cædes id reſpiciendum eſt, animo *aggrediendi*, an *te* ipſum *defendendi* alium interemeris. Plane enim aggreſſor, qui quem invaſit injuſte, occidit quoque, nullo pœnam ordinariam modo effugere poteſt, licet ſe in vitæ discrimine conſtitutum fuiſſe, excipiat, quod ſua ſemet culpa in hoc capitis periculum conjecit, *Gail. de pace publ.* L. 1. C. 16. n. 17. magisque a ſe ipſo occiſus videtur inſultando aggreſſor, quam ab eo, quem aggreſſus eſt, quippe hic pro defenſione vitæ illum ſuæ occidit. Quin potius aggreſſorem injuſtum tanto odio proſequuntur jura noſtra, ut etiam cum cæde aggreſſoris vitam ſuam defendere, invaſo concedant. *L.* 2. *&* 3. *C. ad L. Corn. de Sicar.* *L.* 5. *pr. & L.* 45. §. 4. *ff. ad L. Aquil.* *Ord. Crim. art.* 140. Et hanc defenſionem vocant *moderamen inculpatæ tutelæ.* In hoc moderamine oportet I.), offenſum invaſumque ab altero eſſe. *Ord. Cr. art. cit.* 140. **So einer jemand überläufft, anficht, oder schlägt;** Tum II.), invaſum eſſe injuſte. Quanquam invaſio quævis injuſta habetur, donec probetur contrarium, propterea, quod in civili quavis ſocietate ſecundum regulam omnis vindicta privata eſt illicita. Neque tamen is, qui ad certamen ſingulare provocatus eſt, invaſor haberi poteſt. Præterea III.) oportet aggreſſionem factam eſſe armis letiferis, ut gladio, vel haſta, vel ſclopo, vel cultro, vel inſtrumentis aliis ad occidendum aptis, qualia ſunt fuſtis

prægrandis, lapis & ſimilia. *Ord. Crim.* c. l. **mit einem tödtlichen Waffen oder Wehr** §. 5. *J. de publ. Jud.* L. 41. ff. de V. S. L. 233. §. 2. ff. *eod.* L. 9. ff. *ad L. Jul. de Vi publ.* IV.) Deinde offenſio & agreſſio talis quoque ſit, ut mortis alteri periculum inde immineat, quodque invaſus, niſi occidendo invaſorem, evitare nequit. L. 2. C. *ad L. Corn. de Sicar. Ord. Crim. cit. art.* **ohne fährlichkeit ſeines Leibes, Lebens ꝛc. ꝛc. nicht füglich entweichen kann.** Probata vero offenſione & agreſſione occidiſſe invaſorem ad vitam conſervandam ſuam, aliterque vitæ periculum tuto evadere non potuiſſe, exiſtimatur invaſus, donec contrarium probetur. *Ord. Crim. art.* 142. **So der verklagte Todtſchläger ſeiner berühmten Nothwehre halb ausfündig macht, daß er von dem Entleibten mit einer tödlichen Wehr erſtlich angefochten wäre; So iſt die Nothwehr durch den verklagten Todtſchläger ausgeführet.** Sed hoc amplius V.) defenſionem invaſione ipſa non atrociorem eſſe, oportet. Unde eum, qui invadit te armis deſtitutus, occidere non licet, niſi alter ſit robuſtior & corpore valentior, neque aliud tibi ad defenſionem auxilium vel inſtrumentum, quam telum letiferum ſuppeditet. *Georg. Obrecht de neceſſ. defenſ.* C. 13. n. 11. 12. Neque tamen armorum æqualitas ſtricte exigitur. Nam jura quidem naturalia vim injuſtam propulſari quovis modo permittunt. Sed nec civilia jura in L. 2. C. *ad L. Corn. de ſicar.* eam armorum paritatem exigunt, quæ nec exigi per ſanam rationem poteſt, quod quo armorum genere aggreſſor uſurus ſit, invaſus neſciat. Arma quoque abjicienda eſſe invaſo, ſi ſe ſine armis invadi conſpiciat, fruſtra objicitur. Plane enim ita cum aggreſſore colluctandum ei foret, cujus rei exitus atque ſucceſſus a viribus corporis pendet, ne dicam, pugno quoque mortem ei ſic parari poſſe, timendam plane eſſe. Accedit, quod qui invaditur, imparatus plerumque ſit & inopinato terrore perculſus, quid ſibi faci-

faciendum sit, ignoret, vel non intelligat. *Obrecht c. l. c.* 10. *n.* 8. Quanquam & VI.) honesta tutaque fuga consulere sibi invasum non potuisse, oportet. *Ord. Crim. art.* 140. **ohne Verletzung seines Leibes, Lebens, Ehr und guten Leumuths nicht entweichen kann.** Sunt, qui militibus & nobilibus fugam eo casu dedecori fore existimant atque inde iis potestatem omnino occidendi invasorem largiuntur, sive consulere fuga sibi possent, sive minus. Sed quamvis in pugna contra hostem reip. constituto militi fuga sit dedecori, quin sub mortis quoque pœna interdicta, **Br. Läneb. Kriegs-Recht** tit. 8. id ad aggressiones tamen privatas extendi nequit, sed milites quoque eo casu, si tuto possint, fuga salutem petere debent. Notanter enim Imperator *art.* 140. vitæ & existimationis periculum conjungit. Add. *Grot. de* J. B. & P. L. 2. c. 1. §. 10. n. 3. Quanquam moribus ea in re seculi nostri indulgendum aliquid esse, non diffitemur, ideoque militem vel nobilem, qui fuga sibi ob metuendum inde dedecus non consuluit, cum facere id tuto sine vitæ periculo posset, pœna solum extraordinaria afficiendum putamus. Denique VII.) defensio facienda est in continenti. Tutela enim inculpata præsens imminensque periculum requirit. Quæ omnia si existant simul, aggressoris pro avertendo vitæ periculo cædes non licita solum, sed & punitioni omnino exemta est. *Ord. Cr. cit. art.* 140. **Und so er also den Benöthiger entleibet, ist er darum nichts schuldig.**

§. XXVI.

Poscit loci argumentique hujus gravitas, ut altius paulo rem repetamus. Scilicet ad tutelam inculpatam requiri omnino invasionem, §. superiori dixi. Unde illud recte quæritur, I.) an sufficiant *minæ verbales?* Et magis est, ut non sufficiant, quod secundum *cit. art.* 140. armis letiferis invasum esse, di-

ſerte requiritur. Quod ſi tamen is, qui minitatur, exequi minas ſolitus ſit, ſimulque ſecum arma habeat, quibus ſe ad exequendas minas præparet, primum ſane ictum expectare opus non habes. L. 2. C. *ad L. Corn. de Sicar.* Quin jure antevertere alterum interimendo ipſum potes. *Grot. cit. Cap.* 1. §. 5. *n.* 1. Tum II.) illud tractari ſolet, an cum cæde alterius *defendere honorem*, alapamve impreſſam ulciſci liceat. Quod quidem negamus cum *Grotio cit.* §. 10. Rectius enim dicetur, honorem reparari, injuriam nobis factam tolli poſſe facile per Judicem, neque alapa percuſſum in periculo vitæ conſtitutum eſſe, ne dicam, inferendo injuriam honorem adimi nemini poſſe. Unde impium proverbium illud eſt: **Auf eine Ohrfeige gehöret ein Dolch.** Add. Patruus noſter *Sam. Pufend. de* J. N. & G. L. 2. c. 5. §. 12. Veruntamen qui graviter ab altero injuriis laceſſitus iracundiæ calore illum in primo, ut ajunt, motu interfecerit, in vitio ſane eſt, cancellosque tranſiluit, ſed pœna homicidii ordinaria haud quaquam afficietur. Quid vero? videntur hæc contraria eſſe *Ord. Crim. art.* 137. ubi homicidium commiſſum ex calore iracundiæ **aus Jähheit und Zorn**, gladio expiari cavetur. Sed hoc caput legis intelligendum eſt de ira, quæ orta eſt ſine juſta quadam & probabili cauſa. Aliter itaque ſentiendum, ſi ex juſta quadam legibusque non reprehenſa cauſa nata ſit ira, quippe ignoſcendum ei eſt, qui juſto dolore commotus ulciſci injuriam, quam Judicem ſequi maluit. Alia cauſa III.) eſt *defendendæ pudicitiæ*, quippe quæ æquiparatur vitæ & cujus jactura reparari poteſt nunquam. Proinde ſtupratorem violentum puella impune occidit. L. 1. §. 4. ff. *ad L. Corn. de Sicar. Grot. de* J. B. & P. *c. l.* §. 2. *Pufend. c. l.* §. 11. Sed non puellæ tantum ſuam interemto aggreſſore pudicitiam defendere licet, verum & patri maritoque eandem facultatem niſi forte magis ad injuriam ſibi illatam reparandam

jura

jura noſtra concedunt. Qua in re hæc eſt differentia, ut pater adulterum cum filia occidat ſimul uno prope ictu, ira adverſus utrumque æquali, L. 23. §. 4. & L. 32. ff. *ad L. Jul. de adult.* niſi vel aufugerit filia, vel gravida ſit, vel vi compreſſa; maritus tum demum poſſit, ſi in domo ſua adulterum deprehenderit, L. 24. *pr.* ff. *eod.* ſed ſic, ut adulterum in ipſo concubitu reperiat, cum præſentia in domo ſola adulterium commiſſum non probet, niſi aditu ei ad uxorem interdixerit. *Nov.* 117. c. 15. *pr.* Tum adulterum quoque oportet eſſe perſonam humilem *L. c.* 24. *pr.* & præterea quoque uxor ſimul occidi nequit, ſed hæc dimittenda eſt. *L. c.* §. 1. Et ſic plane ab omni pœna immunis eſt maritus. *cit. Nov.* 117. c. 15. *pr.* Sed & aliter pœna tantum extraordinaria obtinet, quod dolorem ex adulterio uxoris juſte conceptum temperare, maxime ſit difficile. Illud quæritur, ſi maritum in adulterio cum alia deprehenſum interfecerit uxor an pœna homicidii ordinaria teneatur. Et putem non teneri, quod noſtris moribus eandem ſibi invicem inter ſe fidem conjuges præſtare debent ob mutuam promiſſionem in actu copulationis ſacerdotalis factam, ob quam eandem a marito fidem uxor poſcere ſuo jure poteſt, quam ab eadem maritus. Quanquam cum uxorem maritus in adulterio deprehenſam impune haud occidat, & major tamen uxoris, quam viri adulterio turpitudo inſit, multo minus quoque maritum adulterum impune occidet uxor. Sed non poteſt interficere ſtupratorem violentum fœmina meretricio more vivens, quod hæc pudore caret. Optimarum enim mulierum pudicitiæ proſpexerunt leges, non ut vilium quoque rationem habuerint, *Godofr.* ad *L.* 29. *C. de Adult. Ord. Crim art.* 119. ſo jemand einer unverleumbden ꝛc. ꝛc. niſi reſipuerint & caſtiores mores denuo aſſumant. Plane uxores viduasque honeſtas æque ac virgines honeſtas interemto ag-

 greſſore

greſſore violento defendere poſſe pudicitiam ſuam, nemo unquam in dubitationem vocavit. Unde t. t. C. *de raptu virg. vel Viduar.* virgines cum viduabus ea in parte conjunguntur. *Ord. Cr. art.* 119. **einer unverleumbden Ehefrauen, Witben oder Jungfrauen.** Sed & IV.) occidere licet invaſorem injuſtum *liberandi* defendendique hominis *innocentis*, *parentis*, *fratris*, *cognati*, *aimici*, quin & *extranei* cujusque cauſa, *Ord. Cr. art.* 150. modo & hic moderamen inculpatæ tutelæ cuſtodiatur. Moſes quidem Exod. II, 12. an moderaminis hujus omnes partes obierit, id vero, ne in alienam Theologorum meſſem falcem videamur immiſiſſe, aliis excutiendum relinquimus. V.) *Bona* quoque & rem alienam *defendi* permittit *Ord. Crim. cit. art.* 150. verbis: **Zu Rettung eines andern Leib, Lebens oder Gut.** Proinde multo magis res noſtræ earumque poſſeſſio cæde invaſoris defendi poſſunt, dummodo a) in juſta poſſeſſione conſtituti ſimus, L. 1. C. *Unde vi RECTE POSSIDENTI POSSESSIONEM, QVAM SINE VI HABEBAT*, b) moderamen inculpatæ tutelæ ſervemus, *cit.* L. 1. c) & vis quoque inferatur injuſta c. L. 1. add. L. 3. §. 9. ff. *de Vi & Vi arm.* præterea quoque d) fiat defenſio in continenti, vel in congreſſu ipſo L. 17. ff. *eod.* neque e) Judicis auxilio recuperari res poſſint, *Pufend.* c. l. §. 16. Et hæc ratio eſt, ob quam non æque diurnum furem, ac nocturnum quidem occidere licet, quod a fure diurno recuperari poſſit res, non item a nocturno, qui neque cognoſci per tenebras, neque convinci teſtibus poteſt, cum nec horum copia noctu ſit. Quanquam & ſi non poſſint res judicis auxilio recuperari, momenti tamen alicujus & pretii eſſe debent, *Grotius c. l.* §. 11. Tandem quoque f) neceſſe eſt, ut, qui rei, exiſtat quoque corporis aggreſſor nosque defendentes rem noſtram invadat, vel inſtructus ſit armis, unde vitæ periculum metuendum ſit. L. 1.

§. 27.

§. 27. & L. 3. §. 9. ff. *de vi & vi arm.* L. 11. *pr.* ff. *ad L. Jul. de vi publ.* Proinde furem diurnum non aliter occidere impune licet, nisi cum telo ambulaverit. L. 54. §. 2. ff. *de Furt.* L. 4. §. 1. ff. *ad L. Aquil.* vid. infra §. XLI. Sed etsi in specie quadam proposita hæc omnino cuncta servata non essent, ea tamen propter is qui invasorem occidit, capite non plectetur, potius quod defensionis limites transgressus est, extra ordinem tantum coercebitur. Postremum VI.) proponitur, an *aggressor summe ebrius* vel *furiosus* impune occidi possit. Et rectius dicetur posse. Quamvis enim ex parte aggressoris furiosi vel summe ebrii dolus cesset, periculum amittendæ vitæ ex parte invasi non cessat. *Grot. c. l.* §. 3.

§. XXVII.

Altera vel augendæ pœnæ vel minuendæ ratio sita est in PERSONA tum *delinquentis*, tum *partis offensæ*. Quæ quidem in utroque consideranda est secundum *ætatem*, juventutem inprimis & senectutem, tum secundum *statum animi & corporis sexum*, *conditionem* & *peritiam artis cujusdam*. Ac videndum primo est de persona delinquentis, deinde quoque de persona partis offensæ.

§. XXVIII.

Principio *ætatis* ejus, qui deliquit, rationem sedulo habendam esse, recte monet Saturninus in §. 3. cit. L. 16. verbis: *in ejus rei consideratione ætatis quoque ratio habeatur*, injungit quoque L. 108. ff. *de R. J.* verbis: *Fere in omnibus pœnalibus judiciis & ætati & imprudentiæ succurritur.* Solet ætas humana dividi in *infantiam*, *pueritiam*, *ætatem minorennem*, *virilem & senilem.* *Infantes* quidem delinquere non posse, satis clara res est. L. 12. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* Proinde pœna quoque affici

non

non possunt, quod usu rectæ rationis careant, eosque innocentia consilii tueatur, ideoque animus & προαίρεσις delinquendi, in quibus demum delictum consistit, ab his absit. Sed *pueri* vel sunt *pubertati proximi*, vel *annos pubertatis jam egressi*. Superiores illi furandi & injuriæ faciendæ capaces quidem habentur L. III. ff. *de R. J.* nihilominus tamen si facinus admiserint, quod grave in aliis est, propter hoc pœna ordinaria, nedum capitali non plectuntur, sed coercentur virgis, ne consvetudo in illis delinquendi existat. Neque vero a carnifice castigandi sunt, vel lictore. Quod Doctores de iis quoque existimant, qui annos pubertatis vix egressi fuerint, ut qui decimum quintum vel sextum ætatis annum non exegerint. Cui sententiæ quidem non refragamur, propterea quod in caussis criminalibus mitior semper & benignior sententia amplectenda sit, quamvis *Ordinatio Criminalis art.* 164. ordinariam iis tantum pœnam remittendam duxerit, qui annum ætatis decimum quartum nondum exegissent, **so der Dieb, oder Diebin, ihres Alters unter 14. Jahren wären.** Sed hæc omnia aliter se habent, cum malitia ætatem supplet. *Ord. Cr. art.* 164. verbis: **Wo aber der Dieb nahe bey 14. Jahren alt wäre, und der Diebstahl groß, oder obbestimmte beschwerliche Umstände so gefährlich dabey gefunden würden, also daß die Bosheit das Alter erfüllen möchte.** Malitia ex circumstantiis facti dijudicanda est. Et hoc casu puero quoque imponi posse pœnam mortis, patet ex *art. eod.* 164. **Wie ein solcher junger Dieb an Gut, Leib oder Leben zu straffen sey.** Sed nec eo casu, cum malitia ætatem supplet in pubertati proximum mortis pœna facile decernenda est, quamvis extraordinaria omnino augeatur. Proinde Cancellariæ Cellensis sententia puella XIV. annorum, quæ casæ cuidam rusticæ ignem intulerat, ad ergastulum damnata est in perpetuum M. Febr. 1731.

1731. Quæ ſupra adducta eſt *Cap.* XXIV. §. XLII. & XLIII. conſtitutio noſtra in fures domeſticos diſtinguit, ſitne fur minor annis XVIII. an major, & de priori ſpecie cavet, ut hujusmodi fur domeſticus juvenis laquei ſupplicium effugiat, attamen vel in ergaſtulum, vel in opus publicum detur. Verum hoc non pertinet ad alia puerorum delicta, qui ætatis annum XVIII. non exegerunt. Plane enim in furto domeſtico ratio quædam ſingularis, pœnæ nimirum ſeveritas legislatorem ad hunc numerum annorum adjiciendum commovit. Species quædam ſingularis, in qua ætatis puerilis ratio non habetur, relata eſt in L. 14. *ad SCt. Silan.* de puero ad pedes domini cubante nec ſicarium prodente.

§. XXIX.

Aliud de *minoribus* dicendum eſt, de quibus L. 9. §. 2. ff. *de Minor.* expreſſum eſt, IN DELICTIS MINORIBVS NON SVBVENIRI. Lex quoque 37. §. 3. ff. *eod.* de iis in hunc modum cavet: IN DELICTIS MINOR VIGINTI QVINQVE ANNIS NON MERETVR IN INTEGRVM RESTITVTIONEM VTIQVE IN ATROCIORIBVS, & Legis 36. ff. *ad L. Jul. de Adult.* verba hæc ſunt: SI MINOR ANNIS ADVLTERIVM COMMISERIT, LEGE JVLIA TENETVR, QVONIAM TALE CRIMEN POST PVBERTATEM INCIPIT. Quibus legibus adſtipulatur *Conſtitutio Criminalis Carolina cit. art.* 164. quo mitigatio pœnæ diſerte reſtringitur ad impuberes, **die unter 14. Jahren ſind.** Nec ad rem pertinet, quod *articulo* 185. ejusdem Conſtitutionis in ſacrilegii crimine juventutis ejus, qui deliquit, rationem habendam eſſe, exprimatur. Nam quam hoc loco juventutem intelligat Imperator, articulo 164. manifeſtavit ipſe.

 Aetas

Aetas igitur minorennis ſola ad pœnam ordinariam mitigandam nihil confert, niſi accedat illud, quod forte ad committendum facinus ab aliis ſit inductus, vel quod magna ejus ſimplicitas appareat. Et hoc modo interpretanda ſunt verba allegatæ L. 37. §. 3. ff. *de minor.* ſubjecta hæc: *niſi quatenus miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* Inprimis vero Lex 38. §. 4. inceſtus crimen remittit propter ætatem, neque mulieres in jure errantes inceſtus crimine teneri vult, at in adulterio, quod a pubere committitur, ætatis excuſatio non recipitur. Quid ſi igitur minorenni ætati cauſa quædam juſta accedat, quæ ad mitigandam pœnam commovere judicem poſſit, utrum in civitate Luneburgenſi anni unius & vigeſimi, quo expleto ſecundum Jus Statutarium hujus urbis major ætas incipit, an vigeſimi quinti ſecundum jus civile ratio habenda ſit, videamus. Poſterior ſententia *Carpzovio* non placuit *Qv.* 143. *n.* 60. ob eam cauſam, quæ forte ridicula eſt, quod in terris Saxonicis maturius aliquando ſapiant homines. Quod an in civitate quoque Luneburgenſi ita ſe habeat, nondum exploratum eſt. Sed melius eſt, illud ſequi, ut in propoſito quoque anni jure civili Romano definiti reſpiciantur. Fortius enim dicetur, Conſtitutionem Carolinam, generalem in Germania & civitate quoque Luneburgenſi puniendorum criminum normam, omni procul dubio majorem ætatem minoremque juris Romani ſignificatione accipere, & cum in criminalibus cauſis ſtatutum extendendum non ſit, tum privilegium in odium privilegiarii detorquendum nullum eſſe.

§. XXX.

Quæ de *ætate virili* moneamus, non habemus. *Senectus* quoque ex regula judici facultatem mitigandi pœnam ordinariam

riam non dat, ſecundum tritum illud: **jung geſtohlen, alt gehencket,** niſi ſenes fuerint decrepiti & repueraſcentes, **die für Alter wieder kindiſch werden.** Nam hi quidem impuberum ſimillimi habentur, atque ita ſecundum Legem 108. ff. *de R. J.* quæ ætati & imprudentiæ ſuccurrere jubet, mitior a judice pœna pro ipſius arbitrio dictanda, propterea quod ob defectum judicii & ingenii ſenes illi doli capaces vix ſunt, eosque pariter ac pueros innocentia conſilii tuetur. Proinde Cancellaria Cellenſis vetulæ cuidam, quæ ut ordinem ſuum deſereret, militem quendam inductura fuerat, poſtquam Præfecti eam deſtitutam prope intellectu ſignificaverant, aliquot dierum carceris pœnam modo dictavit M. April. 1731. quæ alioquin ergaſtulo ad tempus includenda fuerat.

§. XXXI.

An *morbus difficulter curabilis* quoque pœnam minuat, tractari ſolet. Et magis eſt, non minuere. Neque enim ulla lege hæc mitigandæ pœnæ cauſa probata eſt, & nihil quoque refert, fur ſuſpendendus ex hernia vel alia corporis infirmitate laboret, an corpore valens ſit. Sed in pœnis extraordinariis judicis arbitrium probamus. Unde fuſtigationis vel in opus publicum dationis loco ob debilitatis vel morbi rationem relegari tantum delinquens vel in ergaſtulum tradi a Judice recte poteſt; vel etiam quoad reconvaluerit, pœna differenda eſt. De illis quidem, qui *morbo animi* laborant, ut *furioſi* & *mente capti*, per ſe clara res eſt, eos, quod intellectu deſtituantur, & quid agant, neſciant, pœna omnino nulla plecti poſſe, quippe quos infelicitas fati ſatis excuſat. Quod & ſentiendum eſt de *ſumme melancholicis*, cum neque his animus & conſilium delinquendi, in quo delicti ratio conſiſtit, ineſſe poſſit. Qui qui-

dem omnes obſepiendi & cuſtodiendi vel vinciendi tantum ſunt, ne in hoc animi deliquio plus damni aliis afferre queant. L. 9. §. 2. ff. *ad L. Pomp. de Parricid.* Quod pertinet ad eos quoque qui poſt patratum facinus mentis deliquio capiuntur. Qua in re prudentiæ judicis conveniens erit, ut in eius rei veritatem ſedulo inquirat, ne reus furorem vel melancholiam ſimulet. Ob quam cauſam Medicorum conſilium adhibendum ei erit. Illud quæri ſolet, an qui furorem ſibi conſulto attraxit ipſe & furioſus damnum dederit, propter id puniendus ſit. Et putant *Tiraquellus* & *Harprechtius*. Quod non placuit. Rectius enim dicetur, fieri non poſſe, ut in furore conſtitutus, quem conſilium deſeruit, ex propoſito ſuſcepto & conſilio delinquat, quamvis conficere ſibi furorem conſulto poſſit. Quid? an igitur a pœna quoque extraordinaria immunis hic erit? Quidni ſane? Pœnarum certe extraordinariarum nec capitalium omnium finis primarius eſt delinquentis emendatio. Sed qui judicio mentis deſtitutus eſt furioſus quo modo emendabit ſe? Plane ſi ex furore conciliato rurſus convaluerit, aliud dicendum erit. Nam tunc utique propterea, quod delinquendi conſilio furorem conflavit ſibi, pœna quadam afficiendus erit. Quibus ſolent annumerari illi, qui *in ſumma ebrietate* delinquunt, **die übergeben oder unmäßig trunken ſind.** Sed præterquam quod hoc ad ebrioſos, **die ein Handwerck aus der Völlerey machen,** vel qui data opera ſe inebriant, non pertinet, & quod ebrietas hæc immodica pro re nata vel juramento vel tormentis probanda ſit, hæc quoque non omnem pœnam, ſed ordinariam tantum tollit. De jure noſtro Luneburgico ebrietatem in delictis pœnam ordinariam a nemine removere, manifeſtatur *Ord. Polit. Cap.* 8. §. 3. & *Jure Stat. Luneb.* P. 8. *tit.* 15. vid. ſupra *Cap.* XXIV. §. XXXVII. Quamobrem apud nos quidem arbitrium in ea

cauſa

caufa judicis ceffabit. Quanquam & jure Romano civili quod damnum dedit ebrius, ad hoc refarciendum Lege Aquilia tenetur, quod culpa eft, inebriari. *Habn. ad Wefenbec. tit. de Injur. n.* IV. Sed &, cum crapula remiffa facti non pœnitet, ebrius non excufatur. Huc amplius pertinet *iræ* quæftio. Et hanc quoque pœnam ordinariam minuere, multi putant, quod, qui ira fummum in modum exarferit, furiofi fimilis habeatur fecundum illud Horatii: *Ira furor brevis eft.* Sed propius eft, ut exiftimari debeat, iram ex regula non excufare a pœna ordinaria, & hoc probat *Ord. Crim. art.* 137. Sin autem ex jufta caufa exarfit ira, ut puta, fi alter antea injuria te affecit, tunc fane ordinaria pœna in mitiorem convertitur.

§. XXXII.

Sed & *fexus* interdum in irroganda pœna Judicis arbitrio locum dat. Formula enim vulgaris, fœminas melioris conditionis haberi, quoties fexus imbecillitatis ratio habenda fit, quodam etiam modo in delictis ufu non caret, quod expreffum eft L. 6 *pr. ad L. Jul. Pecul.* Proinde mulier ftuprum paffa in noftris terris mitius quam conftuprator plectitur, vid. *Cap.* XXIV. §. XX. Jure quoque Romano ob facrilegium mitius fœminæ, quam mares puniuntur, L. *cit.* 6. *pr.* ff. *ad L Jul. Pecul.* item noviffimo jure ob adulterium, *Auth. Hodie C. ad L. Jul. de Adult.* Quin & in crimine læfæ majeftatis filiis lenius tractantur filiæ, quippe quæ ex materna hæreditate quartam retinent, L. 5. §. 3. C. *ad L. Jul. Maj.* illis perpetua infamia notatis omniumque fucceffionum incapacibus. L. 5. §. 1. C. *ad L. Jul. Maj. Aur. Bull. c.* 24. Ob furtum quidem non fufpendi fœminas, fed fuffocari jubet *Ord. Crim. art.* 159. hodie pariter ac mares fufpenduntur. Plane quod prægnantium

tium mulierum pœna differatur, quoad peperint, hoc partus gratia fit. Sed jure Romano quoque in carcerem conjici fœminæ non potuerunt, *Auth. Hodie* C. *de Cust. reor.* quod privilegium hodie cessat. Quemadmodum vero in his causis sexus ratio pœnam minuit, ita in quibusdam quoque eandem auget, inprimis cum scelus admissum communem fœminarum naturam quasi evertit, & audaciam vel malitiam singularem manifestat. Proinde fœminæ rapienti marem sine discrimine ullo mortis supplicium dictitant Doctores. Puella quoque juvenem corrumpens & stupro ipsa ansam dans, dotem petere non potest. Plane uxor persvasionibus & lascivis gestibus ad libidinem alliciens juvenem gravius coercenda est.

§. XXXIII.

Sequitur nunc *conditio personæ delinquentis*, quæ alias auget pœnam, alias minuit. §. 7. J. *de Injur.* SECVNDVM GRADVM DIGNITATIS, VITÆQVE HONESTATEM CRESCIT, MINVITVR ÆSTIMATIO INJVRIÆ. Sic liberi parentibus injurias inferentes gravius quam alii coercentur. Vid. *Cap.* XXIV. §. XI. Item liberi interficientes parentes suos & versa vice aliis homicidis severius plectuntur, secundum L. 9. *pr.* ff. *ad L. Pomp. de Parricid.* & *Ord. Crim. Carol. art.* 131. Incestus quoque inter parentes & liberos ultimo supplicio expiatur, vid. *Cap.* XXIV. §. CIX. & qui parens vel maritus filiam uxoremve lucri causa prostituit, gravius quam alii lenocinium committentes punitur. *Ord. Cr. art.* 122. Famulos quidem, in re domini furtum facientes apud nos severior manet pœna, quam alios fures, vid. *Cap.* XXIV. §. XL. *seq.* aliter ac jure Romano L. 11. §. 1. ff. *de Pœn.* Et commentariensis, qui in carcere fœminam quandam cognovit,

vit, acrius quam alii conſtupratores punitur, quin is quoque ſi reum carceri doloſe eximat, ſecundum *Ord. Crim. art.* 180. eadem, qua reus afficiendus erat, pœna tenetur, aliter ac alii qui reum carcere liberant, neque vi adhibita, neque collectis hominibus. Sed milites quoque in delictis militaribus gravior pœna manet, quod patet ex *Articulis Juris Militaris Luneburgici* in *Vol. Conſt. Judic. p.* 699. *ſeq.* Et hoc probat quoque L. 14. ff. *de Pœn.* in hunc modum: *Quædam delicta pagano aut nullam, aut leviorem pœnam irrogant, MILITI VERO GRAVIOREM.* Sane crimen læſæ quoque majeſtatis acrius vindicatur in milite L. 7. §. 4. ff. *ad L. Jul. Maj.* Plus enim a milite ſic reip. afferri poteſt diſcriminis, quam a paganis. Miles quoque adulterii pœna tenetur, qui ſororis filiam in contubernio habuit, L. 11. §. 1. ff. *ad L. Jul. de adult.* & qui miles cultum neglexit divinum palo alligatur, ſecundum *artic. jur. milit. Luneb. tit.* 1. §. 3. Judæus plane mulierem Chriſtianam libidinis cauſa corrumpens acerbius, quam conſtupratores quidem alii, punitur, neque inter Judæum & Chriſtianam, vel Chriſtianum & Judæam matrimonium toleratur, ſed hæc conjunctio luenda eſt morte. L. 6. C. *de Judæis.* Humilis quoque perſona occidens illuſtrem vel famulus dominum, pœnam quam homicidæ alii, graviorem ſuſtinent. *Ord. Crim. art.* 137. *in f.* Maritus quidem adulterum in domo ſua deprehenſum ſiquidem perſona conditionis vilis ſit, impune occidit, L. 24. §. 1. ff. *ad L. Jul. de Adult.* non item alium, quin arbitrarie extra ordinem puniatur. Generatim vero humiliores ab honeſtioribus variis in cauſis Jus Romanum diſtinguit, ut in L. 2. ff. *de term. mot.* L. 1. §. 1. *in f.* ff. *de Effract.* & L. 6. ff. *de Extr. Crim.* & in ſervos quidem quam in liberos homines ſeverius animadvertebatur. L. 10. ff. *de Pœn.* L. 10. §. 3. & L. 28. §. 26. ff. *de Pœn.* Quod quatenus conveniat

veniat cum moribus noſtris, examinabimus §. ſeqv. Sane *Conſtit. Carol. crim. art.* 158. mitius plecti jubet furem in dignitate quadam conſtitutum, de quo emendationis ſpes ſuperſit; verbis: **Wäre aber der Dieb eine solche ansehnliche Person, dabey** NB. **Besserung zu hoffen.** Quæ maritum ſuum doloſe interficit uxor, antequam gladii pœnam ſuſtineat, forcipibus candentibus laceratur, *Ord. Crim. art.* 137. Sed ob crimen expilationis contra uxorem defuncti agi nequit, L. 4. C. *de crim. expil. hæred.* niſi de animo furandi liquido conſtet. L. 45. ff. *pro Soc.* Neque etiam contra uxorem res mariti amoventem a Judice ex officio inquiri poteſt. *Ord. Car. art.* 165. Mater quoque & uxor ad indicandum filium vel maritum ob delictum latitantem cogi nequeunt. Denique furta liberorum in bonis parentum commiſſa, niſi parentes de iis liberos ipſi accuſent, vindicari plane nequeunt. *Ord. Crim. art.* 165. Quanquam & hoc caſu pœna laquei decerni nunquam poteſt.

§. XXXIV.

Sed hæc quæſtio frequentiſſime agitari ſolet, an perſonæ delinquentis *nobilitas* ad mitigandam pœnam judicis arbitrio recte locum faciat. Pro ſententia eorum, qui hoc ſentiunt, faciunt L. 6. *pr.* ff. *ad L. Jul. Pecul.* L. 4. §. 1. ff. *de inc. ruin. naufr.* L. 6. *pr.* ff. *de extr. Crim.* & L. 3. §. 5. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* Qui contra ſentiunt, adducunt L. 8. C. *de Epiſc. & Cler.* & L. 13. §. 8. C. *de Judic.* Veteres quidem Germani noſtri in puniendo crimine diffidationis & fractæ pacis publicæ hoc diſcrimine uſi ſunt, ut nobiles, quo nomine antiquis temporibus Principes, Comites & Barones tantum ſignificabantur, geſtarent ex hujus comitatus in alterius maxime propinqui fines canem, miniſteriales ſeu nobiles ordinis inferioris

ſellam

ſellam ſive ephippium, ruſtici vero rotam aratri. Quam rem commodiſſime perſecutus eſt *D. Henricus de Bünau* in *vita Friderici I. Imperatoris p.* 54. *ſeq.* add. *Lehmann. Chronic. Spir.* L. V. c. 4. *Georg. Beyer Spec. Jur. Germ.* L. I. c. 2. §. 41. Quod pœnarum genus cum ab uſu jam receſſit diu, quid hodie obtineat, videndum eſt. Et diſtingui hodie ſolent a pœnis nec capitalibus capitales. Superioris generis primaria fere eſt fuſtigatio. Sed hæc infligi viro nobili non ſolet, quin potius mitior pœna alia ſubſtituitur, puta vel relegatio, vel datio in ergaſtulum. Quanquam *Georg. Beyer* in *Jur. Germ.* L. I. c. 2. §. 37. ejus loco amputationem manus Baroni cuidam decretam eſſe refert. Quod ſane habet rationem. Fuſtibus enim cædi ſummum infamiæ gradum continet, unde gravior ſane hæc eſt pœna hominibus nobilibus, quam aliis. add. L. 28. §. 2. ff. *de Pœn.* cujus verba hæc ſunt: *Non omnes fuſtibus cædi ſolent, ſed hi duntaxat, qui liberi ET QVIDEM TENVIORES HOMINES, HONESTIORES VERO FVSTIBVS NON SVBIICIVNTVR.* In opus publicum quoque nobiles non dantur, ſed vel in ergaſtulum, vel relegantur. Plane relegationis pœnam in nobiles homines decerni poſſe, dubio caret & uſurpatum quoque eſt. Hæc enim quod famam non minuit, gravior homini nobili, quam aliis eſſe nequit. Quanquam & iisdem relegationem, ſi velint, mulcta quadam pecuniaria redimere multo facilius permittitur, ſed ita ut hæc venia a Principe ipſo, non a Judice petenda ſit, propterea, quod pœnæ ſemel a Judice decretæ in aliud mitius quoddam pœnarum genus convertendæ ratio pertinet ad jus veniam concedendi ſeu aggratiandi, quod eſt ſolius Principis. Neque etiam ullus dubito, quin, ſiquidem lex ſpeciatim iſti delicto relegationis pœnam non definiverit, mulctam pecuniariam in ſententia relegationis loco nobili homini

Gg imponere,

imponere, arbitrio Judicis relictum sit. Quamobrem cum in stuprum tertio commissum Lege provinciali nostra relegationis pœna scripta sit, non est idcirco in Judicis arbitrio, aliam homini nobili quam relegationis pœnam decernere. Scabinos quoque Mindenses memini homini cuidam nobili, qui defensionis terminos nimium transgressus fuerat, relegationis loco consilium provincia excedendi dedisse, in causa **des Ravensbergl. Peinl. Amts-Ankl.** contra **den** *Major* **von** *Qv.* **Peinl. Amts-Angeklagten,** ubi pronuntiarunt ita: **Daß Peinlich angeklagter gestalten Umständen nach zwey Jahr lang sich des Landes zu enthalten, schuldig sey.** Neque etiam expositio ad numellas in hominem nobilem decerni potest, omnino tamen datio in ergastulum, quod confirmare exemplis, odiosum foret. Plerumque sane afficiuntur mulcta pecuniaria, cum alii homines tenuiores cætera pœnarum extraordinariarum genera subire debent. Meminisse autem oportebit, *in mulctis pecuniariis aliis deterioris conditionis esse homines nobiles. Jos. Nolden. de statu Nobilium Civ. c.* 15. *n.* 24. Quod enim locupletiores semper habentur nobiles generisque ipsos splendor avocare a delinquendo debebat, graviori mulcta quam pauperes & tenuiores homines coercentur. Nam aliter si eadem in utrosque mulcta conveniat, gravius plecterentur inopes, mitius nobiles & locupletes, quod hi quidem facilius & minori eam molestia exsoluturi sint. Proinde apud nos receptum est, nobiles homines mulctari florenis aureis, cum ignobiles mulctantur Imperialibus & florenis Lubecensibus rustici. Quam nobiliorum prærogativam, nisi consvetudine comprobata esset, deprecaturi procul dubio forent multi. Ex iis igitur, quæ diximus, formulæ hæc constitui potest: QVOTIES DECERNENDA EST POENA EXTRAORDINARIA INFAMANS, TOTIES IGNO-

IGNOBILIORIBVS MITIVS PVNIVNTVR HOMINES NOBILES. Ex diverſo vero GRAVIVS PVNIENDI SVNT HOMINES NOBILES, CVM MVLCTA PECVNIARIA DECERNENDA EST. Quæ dixi de hominibus nobilibus, ea applicari quoque ſolent ad Miniſtros, Conſiliarios vel Officiales Principis dignioris ordinis, neque non ad Doctores, quod hi quoque Jure Germanico privilegiis & juribus nobilium quoad vivunt, gaudent.

§. XXXV.

Alia cauſa eſt pœnarum *capitalium*, quæ jam legibus omnino determinatæ ſunt. Ab his enim disjunctum arbitrium Judicis eſt, neque is Principe inſcio nec probante pœnam nobili mitiorem quandam capitalem, quam quæ lege definita eſt, decernere poteſt. Quod manifeſtatur *Ord. Crim. art.* 158. verbis: **Wäre aber der Dieb eine ſolche anſehnliche Perſon, dabey Beſſerung zu hoffen, mag ihn der Richter (jedoch ohne der Obrigkeit Zulaſſung und Verwilligung nicht,) Bürgerlich und alſo ſtrafen ꝛc. ꝛc.** Proinde homini quoque nobili, qui vel incendii, vel latrocinii, vel furti, vel alio crimine hujus generis commaculavit ſeſe, a Judice pœna ordinaria ignis, rotæ & laquæi decernenda eſt. Quanquam antequam hæc pœna ad executionem perducatur, ad Principem ſemper de ea re referendum, eique committendum eſt, an ob ſplendorem generis vel dignitatis mitius pœnæ genus, clementia commotus, ſubſtituere velit. Quorundam locorum mos eſt, ut antequam ad mortem ducantur, de dignitatis ſuæ gradu dejiciantur, quod *degradare* vocant, qui degradationis actus adhibetur in Clericis ad ſimilitudinem exauctorationis ejus, qui in

ordinibus militaribus fuit, & hoc Hannoveræ quoque in Clerico quodam falso monetario ad ignem damnato aliquando factum est, quam quidem Clericorum degradationem commode persecutus est *Lancellottus Inst. Jur. Can.* L. 1. *tit.* 20. aliique. Sed de nobilitatis gradu dejiciendorum ritus hi prope sunt, ut insignia ipsorum, clypeus & galea infringantur, & nobilitatis Diploma laceratum atque in particulas discissum ad pedes eorundem projiciatur. Olim quidem ephippium a ministerialibus gerendum quod gradu moverentur, signo fuit. Quam rem exposuit *Dn. de Bunau* c. l. in eum modum: **Wodurch angezeiget werden sollen, daß diese Verbrecher ihres Adelichen Standes verlustig und zu blossen Fuß-Knechten gemacht worden, und dahero den Sattel, darauf sie ehemahls gesessen, nunmehro auf dem Kopff tragen müssen.** Milites hodienum quoque gradu & ordine interdum quodammodo moventur, ita ut præpositi ad numerum militum gregariorum reducantur, **daß die *Officirer* zur Straffe auf die Schildwacht gesetzt werden.** Quæ res tamen in milite generis dignitatem non minuit.

§. XXXVI.

Pertinet quoque ad hunc locum personæ *peritia artis cujusdam insignis & egregiæ*, qua delinquens præditus sit. Sed hæc, ad pœnam ordinariam capitalem mitigandam Judicis arbitrio locum non facit, quin potius de ea re ad Principem referendum, an hic ob eam causam veniam reo dare & remittere pœnam capitalem velit. L. 31. ff. *de pœn. verbis:* PRINCIPEM CONSVLERE DEBET. Quod tum quoque faciendum est, si reus *præclare de rep. meritus sit*, & in posterum quoque plura ejus in remp. merita expectari possint.

§. XXXVII.

Sed hoc quoque loco tractatur, *si quis ultra modum in quæstione tortus sit*, an eum extra ordinem punire Judex, & pro arbitrio suo mitiorem ei pœnam decernere debeat. Et hoc omnino videtur, & usu quoque judiciorum comprobatum est. Atque idem quoque de eo, qui post trinam quæstionem denuo retractavit confessionem suam, verum est, cui quidem Judex pœnam extraordinariam infliget, sed haud facile ultra relegationem procedet. Vid. *Cap.* XX. §. XLI. Pertinet huc quoque *carceris perpessi diuturnitas*, quæ non ex mora rei, sed ipsius Judicis causam protrahentis profecta fuerit. Sed hoc in delictis tantum, quæ arbitrarie vindicantur, verum est, non item in iis, quæ morte expiantur. Quin in levioribus quoque delictis carcer interdum toleratus ipsius pœnæ loco esse solet, quod tum inprimis fit, si in delictis levioribus statim a conjiciendo in carcerem reo initium Judex fecit.

§. XXXVIII.

Sed non *personæ* modo delinquentis, verum etiam *offensæ* in irroganda pœna ratio habenda est. Cujus quidem loci quam superioris eædem partes existunt. Sane propter *ætatem* stuprum puellæ nondum viripotenti illatum gravius coercetur per L. 38. §. 3. ff. *de Pœn.* Injuria quoque seni cuidam venerabili ab homine juvene illata gravior habetur. Ob *sexum* injuria aliquando infertur, quæ in sexu masculino injuria non est, ut si quis forma puellæ cujusdam captus frequens eam sectatur, item qui virgini invitæ osculum rapiat, nisi ludendi animo fiat, injuriam ei affert. L. 15. §. 22. & 23. ff. *de Injur.* & qui turpibus erga illam verbis utitur, L. *cit.* §. 21. Plane ob *statum animi* personæ offensæ, qui stuprum infert mulieri

mente captæ, fuſtibus cæditur, quod de eo quoque procedere ajunt, qui mulierem ſupra modum *inebriet*, vel inebriandam curet, rei cum ipſa eo facilius habendæ cauſa, atque ita eam poſtea dormientem vel ſenſu carentem comprimat, cujus facti pœnam quidam Doctores ad ultimum ſupplicium extendunt, quia æquiparant ſtupro violento. *Conditio* quoque perſonæ offenſæ delictum alias auget, alias minuit. Proinde, uti ſupra relatum eſt, injuria a liberis parentibus illata, a ſubditis Magiſtratui, L. 42. ff. *de Injur.* Concionatori a parochianis, a ruſtico homini nobili atrocior habetur, §. 9. J. *de Injur.* Furtum quoque gravius habetur, quod a famulis erga dominum commiſſum eſt, quam aliud, & qui tutor pupillam ſuam vitiavit, deportatur ejusque bona confiſcantur per L. *un.* C. *Si quis eum, cujus tut.* quippe hujus officium eſt, defendere pupillam ab injuria, non qui ipſe injuria eam afficiat. Sed & qui viſitatoribus publicis, in obeundo ipſorum munere, injuriam faciunt, ſeverius apud nos coercentur. Vid. *Cap.* XXIV. §. LXXIX. De Judæo quidem Chriſtianam ſtuprante actum eſt ſupra. Plane vis illata perſonæ publicæ gravius delictum exiſtimatur, quam quæ homini privato facta eſt. §. 8. J. *de publ. Jud.* Cædes quoque parentum, liberorum, conjugum & cognatorum, item perſonarum illuſtrium exacerbationem pœnæ requirit. *Ord. Crim. art.* 131. & 137. Quæ exacerbatur pœna quoque in famulo, qui dominum occiderit, *cit. art.* 137. *in f.* Sed & ſtupri pœnam augeri vult *Conſtitutio D. Henrici Julii de* 3. *Jul.* 1593. ſi quis cum ancilla vel ſua, vel patris, vel denique heri rem habuerit. Vid. retro *Cap.* XXIV. §. XXIV.

§. XXXIX.

Ex diverſo pœnam *minuit ætatis* ratio in crimine abactionis,

nis, vel procurati abortus, ſi partus nondum animatus fuit, qua in re dimidium tempus partus geſti reſpicitur, & ſic pœna extraordinaria decernitur, quæ in altera ſpecie partus animati capitalis erat. *Ord. Crim. art.* 133. Ob perſonæ *conditionem* mitigatur pœna in eo, qui cum uxore meretricio more vivente rem habuit. L. 22. C. *ad L. Jul. de Adult.* Item qui meretricem rapuit, pœna raptus non ſubjicitur, ſed demum ſi fœminam honeſtam rapiat. L. *un.* C. *de Raptu Virg. Ord. Cr. art.* 118. Quod pœnæ temperamentum is quoque ſperabit, qui ſuam ipſius ſponſam rapuit, quæ Jure Canonico rapta non exiſtimatur. c. 6. X. *de Rapt.* Atque hoc ex Jure Canonico contra L. *cit. un.* C. *de raptu Virg.* recepit praxis. Pater quidem filio in poteſtate conſtituto injuriam non infert, L. 4. ff. *de Judic.* neque uxori maritus L. 2. ff. *rer. amot.* niſi admodum ſævierit. *Jus Statut. Luneb.* P. 8. *tit.* 31. vid. *Cap.* XXIV. §. CI. Sed & qui alterius ſponſam vitiavit, levius quam alius adulter coercetur. *Ord. Polit. Luneb.* C. 6. §. 5. Demum perſonæ quoque offenſæ ratio in injuriis pœnam minuit, ſi objectum convicium verum ſit, quamvis hoc modo omnis pœna non tollatur. *Ord. Crim. art.* 110.

§. XL.

LOCVM quoque Calliſtratus vel aggravare delictum dicit, vel minuere. Et hoc rationem habet. Quædam enim loca ſanctiora & auguſtiora quodammodo aliis habentur, quorum igitur ſecuritate violata magis infracta ſalus publica videtur. Proinde injuria in æde ſacra illata, vel in loco judicii vel in aula & ſede Principis propter ſanctitatem eorum locorum verendam gravius vindicatur §. 9. J. *de Injur.* item in cella vel pharmacopolio publico civitatis, *Cap.* XXIV. §. XCII. Vis

item,

item, quæ cuique in ſuis ædibus fit, atrocior habetur, propterea quod ædes cuique ſuæ tutiſſimum receptaculum eſſe debent. §. 8. J. *de Injur. Jus Statut. Luneb.* P. 8. *Tit.* 15. vid. ſupra Cap. XXIV. §. XCIII. Saccularii quoque qui in ædibus cujusque ſuis crumenas tollunt, gravius coercentur, quam qui in foro, vel platea facinus hujusmodi commiſerunt. *Jus Statut. Luneb.* P. 8. *Tit.* 38. vid. Cap. XXIV. §. CIII. Quin & qui furandi ſe animo in aliena cœnacula dirigunt, acrius quam reliqui fures plectendi ſunt. L. 7. ff. *de extr. crim.* Furtum quidem a ſacrilegio diſcerni hodie parum intereſt, poſtquam Carolus V. Imperator in *Conſtitutione Criminali art.* 175. cavit, ut in his eodem modo, quam in reliquo furtorum genere procedatur, **daß es darinnen, wie von weltlichen Diebſtählen geſetzet, gehalten werden ſoll.** Sed Romano-Catholicis *art.* 172. *Ord. Crim.* uſu adhuc ſervatur. Veruntamen ſi pœna extraordinaria quædam ob furtum in æde ſacra commiſſum infligenda ſit, ut aliquantum exacerbetur hæc, non improbabo. Sed latrocinium & robbaria ob loci rationem omnino gravius quam rapina furtumve aliud vindicatur. Balnearios quoque fures acrius puniendos jubet L. 1. ff. *de Fur. Baln. Jus Statut. Lun.* P. 8. *tit.* 41. vid. *Cap.* XXIV. §. CIII. item rixantes in convivio nuptiali *Ibid.* §. XCII. & ſcortantes vel in cœnobiis templisve, vel in locis habitationi Principis deſtinatis, vel in ædibus domini *Ibid.* §. XXIV. Sed & qui in convivio nuptiali, vel alio quodam honeſto artem ſacculariorum exercent, gravius plectuntur. *Ibid.* §. CIII. In incendii quoque crimine multum intereſt, utrum incendium in urbe excitatum ſit, an in caſis ruſticis & in pago, ſiquidem L. 9. & L. 12. §. 1. ff. *de incend. ruin.* item L. 28. §. 12. ff. *de Pœn.* id diſcriminis conſtituit. Quamvis enim *Ordinationis Criminalis articulus* 125. doloſos incendiarios omnes igne concremandos cenſeat, merito tamen diſtinctio

ſtinctio juris civilis adhibetur, cum ratione ſua conſtet, quippe in urbe gravius ex incendio damnum exiſtere poteſt, propterea quod contiguæ ædes ſibique vicinæ, aliter ac in pagis, quorum ædificia nulla ſunt contigua. Qui feram beſtiam eamque noxiam in loco habent, ubi vulgo iter fit, pro qualitate damni dati arbitrarie puniuntur *Ord. Crim. art.* 136. Sed in dejectione quoque vel effuſione ratio habetur loci, num is ſit, per quem vulgo iter fit, an ſecretus quidam L. 1. §. 2. ff. *de his qui effud.* item ſi quis arborem putaverit in ſuo fundo, hæc autem decidendo in locum, ubi vulgo iter fit, hominem prætereuntem enecaverit. §. 5. J. *de L. Aquil.* Veruntamen & quædam cauſæ incidunt, in quibus loci ratio delictum ejusque pœnam minuit. Incendium quidem in pago excitatum quam in urbe mitius puniri, jam dixi. Sed mulier quoque partum exponens in loco non ſolitario miſericordiæ prætereuntium commovendæ gratia, capite non plectitur, quamvis infans perierit, arg. L. 2. C. *de inf. expoſ.* cum ex diverſo in loco ſolitario infantem exponens pœna parricidii teneatur. *Ord. Crim. art.* 132. Item injuria, quæ in ſolitudine fit, levior exiſtimatur, quam quæ fit in conſpectu aliorum. L. 7. §. 8. ff. *de Injur.* Referre quidem in furto quoque qualificato ajunt, ædes in urbe quadam, an caſæ ruſticæ effractæ vel conſcenſæ fuerint, neque in hac extrema ſpecie furtum qualificatum conſiſtere. Sed non ab re eſt hoc probare, diſtinctionem illam non habere rationem, non tantum quod legislatori ea probata non eſt, verum & propterea quod Conſtitutio hæc criminalis æque caſulis ruſticis aliisque ruri habitantibus proſpicere voluit, quam locupletioribus, qui in urbe habitent. Quin in caſula quadam ruſtici pauperculi furtum commiſſum gravius eſt, quam quod in urbe fit, propterea quod ruri difficilius præcaveri poſſint furta, quam in urbe quidem, ubi major hominum copia adeſt,

unde rusticorum quoque saluti ea in re magis providere, e rep. esse videtur. Atque inde venit, quod *Cujacius Obs.* L. 14. *Tit.* 15. probet, in agris furem nocturnum quoquo modo occidi posse, quod in agris fur difficilius prehendatur, majorque in iis grassandi facultas sit. Denique scloporum quoque explosio in urbe interdicta est, vid. *Cap.* XXIV. §. XCIII. & qui munimenta civitatis ex petulantia transiliunt, in eos pœna capitis scripta est. *Ibid.*

§. XLI.

Venit nunc secundum Saturninum TEMPORIS ratio, ad quam itidem Judicis circa pœnas arbitrium se referre solet. Et jus quidem civile a furibus balneariis diurnis discernit nocturnos, L. 1. & 2. ff. *de Fur. baln.* ab effractoribus quoque nocturnis diurnos. L. 2. ff. de Effract. Sed & Imperator in *Constitutione criminali art.* 167. furta in agris hortisve facta diurna a nocturnis distinguit, & nocturna quidem graviori animadversione digna censuit, quam illa diurna. Quæ quidem distinctio habet rationem, quod subreptio nocturna majorem animi malignitatem arguit, & furta quoque noctu difficilius præcaveri possunt. Sane ex Legibus XII. Tabularum furem nocturnum omnino interficere licuit, quæ legum fragmenta adduxit *Macrobius* L. I. *Saturn.* c. 4. SI NOX FVRTVM FACTVM SIT, SI IM ALIQVIS OCCISIT, JVRE CÆSVS ESTO. Qui XII. Tabularum rigor per L. 4. §. 1. ff. *ad L. Aquil.* ita temperatus est, VT ID IPSVM AD FVREM CVM CLAMORE TESTIFICETVR. *Ulpianus* L. 9. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* adjecit illud: SI PARCERE EI SINE PERICVLO SVO NON POTVIT. Furem vero diurnum aliter occidere non licet, quam

quam ſi TELO SE DEFENDAT, ſecundum cit. L. 4. §. 1. ff. *ad L. Aquil.* L. 54. §. 2. ff. *de Furt.* Ambulare interdiu in platea publica certe cuivis licet, non item noctu niſi laterna inſtructo. *Rec. Imp. Francof. de An.* 1612. in quem modum cavit quoque *Statutum Luneburgenſe* P. 8. *tit.* 16. Ac civitatis Argentoratenſis idem Statutum refert *Tabor Armament. Juſtin.* c. 1. *in fin.* & *Cruſius de Indic. delict.* P. 2. c. 10. n. 7. haud abſimile in civitate olim Hannoverana viguiſſe, teſtis eſt. Legibus quoque XII. tabularum nocturnos conventus civium interdictos fuiſſe, tradit *Cruſius* in Libello *de Nocte & Nocturn. Offic.* c. 4. n. 17. Item Maximilianus II. **in der Reuter-Beſtallung zu Speyer** *de An.* 1570. *art.* 72. cavet, ne ſclopi bombardæve noctu diſplodantur. Statutum quidem relatum Luneburgicum c. l. eos quoque comprehendit, qui noctu in plateis curſitant armis inſtructi, niſi ſint homines ſatis cognati cæteris, & in quos mala ſuſpicio nulla conveniat. Ac de iis, qui nocturno tempore piſces furantur, videatur *Meurerus* **vom Waſſer-Recht** *qv.* 10. n. 7. Summatim ut complectar omnia: *delicta nocturna diurnis graviora ſunt & proinde acrius punienda.* L. 2. ff. *de Effract.* ibi: ATROCIORES SUNT NOCTURNI EFFRACTORES. Pontifex quidem *cap.* 3. X. *de homic. vol. vel caſ.* cavet, ut Judices pœnitentiam cuique imponant ſecundum tempus, quo delictum commiſſum. Sed & ratione temporis aliquando minui delictum, negandum non eſt. Proinde qui de media nocte, qua vulgo iter non fit, ſine lucerna ambulanti effundendo aliquid vel dejiciendo damnum dederit, ad reparandum damnum non obſtringitur. Tenetur vero dejiciens vel effundens lege, ſi primo noctis tempore, quo adhuc iter fieri vulgo ſolet, damnum alteri dedit. L. 6. ff. *de his qui effud. vel dejec.* Pertinet demum ad hunc quoque temporis locum furtum incendii tempore factum, quod

non ſolum committitur in tumultu incendii & trepidatione incendii, ſed etiam ſi ex adjacentibus prædiis, ubi incendium fit, quid rapiatur. L. 1. §. 2. ff. *de incend.* Quale furtum quamvis in re minima conſiſtens ultimo ſupplicio expiatur ex *Conſtitutione Electorali de* 24. *April* 1720. cujus verba hæc ſunt: **Und weil man übrigens wahrgenommen, daß in dergleichen Begebenheiten vorzugehen pflegen, und unter dem Vorwand es zu retten und in Sicherheit zu bringen, entwendet wird; Gleichwol an dem, daß die in ſolchen Fällen verübte Bosheit deſto ſchärfer zu beſtrafen, je weniger man ſich davor hüten kan; Als iſt Unſer ernſter Wille, daß derjenige, welcher alsdann auch das allergeringſte entwandt, das ihm anvertraute nicht wieder zurechte bringet, oder daß er es hat, auf geſchehenes Nachfragen verleugnet, ohne einzige Gnade am Leben geſtraft werden ſolle.**

§. XLII.

Sequitur nunc illud, ut quomodo QVALITATE vel augeatur delictum, vel minuatur, videndum ſit. Sed qualitate quidem continetur ipſa actio mala, ſeu quicquid fecerit delinquens. Quo magis igitur hoc ipſum factum per ſe ſpectatum ſalutem & tranquillitatem publicam convellit & labefactat, eo atrocius eſt & majori animadverſione dignum, quo minus, eo levius & mitius puniendum. Furta quidem manifeſta diſcerni a nec manifeſtis, hodie parum refert, quod actiones in duplum vel quadruplum exoleverunt. Hoc enim diſcriminis moribus Spartanorum originem debet, quos in hortis & cibariis furta pueris permiſiſſe, ut ad deprædationes belli tempeſtate ſagaciores exiſterent, Xenophon tradit; quibus ſi minus caute egerant & ab aliis in crimine inveniebantur,

verbera

verbera & fames pro piaculo erant. *Pufend. de* J. N. & G. L. 8. c. 1. §. 3. Sed hunc pueros educandi morem Germani adhibuerunt nunquam. Sane a furto omnino recte diſcernitur rapina, quæ etiam re minima conſiſtit, *pr.* J. *de Vi bon. rapt.* & quæ omnino gravior eſt furto, quod vis ei ſemper ineſt. A furto quoque in noſtris regionibus diſcernitur abigeatus crimen, neque non furtum domeſticum. Horum quippe criminum pœna gravior eſt, quam furti. Neque minus diſtinguendum eſt a furto crimen expilatæ hæreditatis & rerum amotarum, quorum vel nulla, vel levior quam furti pœna eſt. In injuriis quoque verbalem injuriam a reali ſecerni refert, quippe illa atrocior eſt hæc. Sed & in verbalibus probe perpendendum eſt, num per ſe contumelioſa verba ſint, an minus. Nam ſiquidem per ſe contumelioſa, animus injuriandi conjicitur, ſeu præſumitur, niſi animo ſe injuriandi non dixiſſe probet injurians, non item in alia ſpecie. L. 5. C. *de Injur.* Deinde in verbali quoque injuria ratio habenda eſt ipſius convitii & delicti, quod alteri objectum fuerit, levius ſit, an atrocius. Proinde qui cornutum vocaverit alium hominem, graviorem animadverſionem meruit, quam qui vocaverit quendam **einen Bärenbeuter,** quod hac voce homo ſegnis & ignavus, **der auf der faulen Bärenhaut lieget,** ſignificetur, ſed cornuti appellatio crimen lenocinii contineat. Sed & diſtinguendus eſt ab injuria libellus famoſus, cujus pœna ſecundum L. *un.* C. *de famoſ. lib.* & *Ord. Crim. art.* 110. capitalis eſt, etſi hodie plerumque fuſtigatio tantum decerni ſoleat. Neque minus ab injuria ſeparanda eſt retorſio, qua injuria nobis illata in alterum retorquetur, quæ animadverſione caret, ſi in continenti fiat eodem modo neque graviori, quam offenſio accepta eſt. Quanquam & nimia in retorquendo vehementia offenſione ipſa mitius coercetur.

§. XLIII.

Ob eam cauſam quoque proditionis crimen & perduellionis ſecernendum probe eſt a crimine læſæ majeſtatis. Siquidem proditionibus & perduellione multo gravius resp. afficitur, quam læſæ majeſtatis crimine. Unde ſuperioris hujus pœna admodum eſt ſevera, quippe perduelles in quatuor partes diſſecantur, *Ord. Crim. art.* 124. memoria ipſorum damnatur, dignitatibus privantur, bona confiſcantur, ædes quoque deſtruuntur & filii perpetua infamia notantur omnisque ſucceſſionis incapaces fiunt, L. 5. §. 1. *C. ad L. Jul. Maj. Aur. Bull.* C. 24. At crimen læſæ majeſtatis, quod tum committitur, cum contra dignitatem Principis factum quid eſt, veluti ſi quis regalibus utatur ſine Principis conceſſione, extra ordinem tantum coercetur, nonnunquam tamen ad mortem usque procedi poteſt, ſed ut neque bona confiſcentur, neque memoria damnetur, neque filii infames fiant. Aliud quoque crimen eſt, ſi quis Imperatori vel Principi maledixerit. Hujus enim delicti pœnam remiſit Imperator in L. *un.* C. *ſi quis Imp. male dix.* quanquam hodie male dicta hujus generis extra ordinem vindicari ſolent. L. 7. §. 3. ff. *ad L. Jul. Maj.* Item in crimine diffidationis quæ minæ interceſſerint, videndum eſt. Nam qui mortem cuidam homini minitatur, cautionem tantum de non offendendo præſtare cogitur, *Ord. Crim. art.* 167. quam ſi nequeat præſtare, carceri includitur. *Ord. Polit. Luneb.* C. 6. §. 13. Sed qui ſigno quodam vel facto hujusmodi quid alteri cuidam comminatus fuerit, unde ſimul univerſitati toti periculum immineat, pœna obtinet capitalis, quamvis ad executionem minæ non fuerint perductæ. *Ord. Crim. art.* 128. & 129. *Ord. Polit. Luneb. ibid.* §. 14. In abigeatu, quale pecus abactum ſit, ſpectandum eſt. Conſtitutio enim contra abigeos noſtra equorum tantum abactorum mentionem facit, proinde

proinde ejus rigor ad pecora abacta alia extendi nequit, quanquam jure civili, qui gregem etiam ſuum ſurripuiſſet, abigeus exiſtimabatur L. 16. §. 7. ff. *de pœn.* In termini quoque moti crimine intereſt, agrorum privatorum, an Imperii termini ſint confuſi. Nam ſiquidem privatorum, pœna extraordinaria obtinet L. 2. ff. *de term. mot.* quæ ad fuſtigationem usque extendi poteſt ſecundum *Ord. Crim. art.* 114. ſin autem imperii termini confundantur, crimen læſæ majeſtatis committitur, cujus pœna ſubeunda quoque eſt. Homicidium quidem qualitate augetur & Aſſaſſinii nomen accipit, ſi quis interficiendum quenquam per alium quendam mercede ad occidendum conductum curaverit, quippe tum pœna rotæ obtinet. Sed & in veneficii crimine conſiderandum eſt, quid reus fecerit. Nam ſiquidem hominem veneno necaverit, mas rota contunditur, fœmina aquis ſuffocatur; *Ord. Crim. art.* 130. & eſt hoc quoque homicidium quaſi qualificatum; ſin autem pecora veneno interfecerit, non quidem capitalis ſed extraordinaria pœna decernenda eſt; ſed ſi pecus interfecerit, quod comedendi gratia mactatum iri non ignoravit, atque ex ejus eſu homo poſtea perierit, pœna *art.* 130. tenetur. Qui autem paſcua veneno infecerit, eum capite plectendum cenſent ad ſimilitudinem ejus, qui mala medicamenta publice vendidit, §. 5. J. *de publ. Jud.* cui ſententiæ quidem aſſentiendum puto, ſi grave damnum inde ſit ſecutum, aliter enim, ſi ſtatuto pœna ſpecialis determinata non eſt, extraordinaria potius decernenda eſt. Qui fontes, cereviſiam, farinam veneno inficiunt, arg. L. 6. C. *de Malef. & Math.* vivos comburendos Doctores cenſent, non tantum quod veneno quam gladio occidere gravius ſit delictum, L. 1. C. *eod.* ſed etiam ob capitis periculum, quod ſanequam multis ex hoc veneficii genere impendeat. Sed in crimine falſi quoque ejus qualitas conſideranda eſt, inprimis

qua

qua in re commiſſum ſit. Nam monetam quidem falſificantes igne puniuntur *Ord. Crim. art.* 111. reliqua falſa pro modo damni illati extra ordinem vindicantur. *Ord. Crim. art.* 112. Plagium denique in libero homine commiſſum, morte luitur L. *fin.* C. *de L. Fab. de Plag.* literarium vel plane non vel tantum extra ordinem coerçetur.

§. XLIV.

Atque hoc inprimis loco formula notanda hæc eſt: *Quoties delictum cum violentia quadam ſingulari conjunctum ſit, toties hac acceſſione delictum cumulari ejusque pœnam aggravari.* Quæ quidem delicta vocari ſolent *qualificata*, quorum multiplex eſt genus. Et furtum qualificatum eſt, quod fit armis adhibitis vel effringendo vel conſcendendo, **ein gefährlicher Diebſtahl.** Hujusmodi fur, qui committit furtum qualificatum ſimilis habetur ejus, qui pacem publicam fregit, **iſt einem Vergewaltiger gleich zu achten,** & propterea laqueo vitam finit, ſive magnum fuerit furtum, ſive parvum, ſive primum fuerit, ſive repetitum. *Ord. Crim. art.* 159. Ad hæc furta qualificata rapina quoque pertinet, qua vi & palam res aliena mobilis lucri faciendi animo contrectatur, cujus pœna determinata eſt *Ord. Crim. art.* 126. Stuprum quoque qualificatum dicitur, ſi quis virginem, viduamve vel uxorem etiam honeſtam vi compreſſit, & hoc ultimo ſupplicio luitur. *Ord. Crim. art.* 119. Eadem ratione ſpolium qualificatum eſt, cum quis majorem vim, quam cui reſiſti poſſit, armata manu & collectis hominibus alteri inferat, quod crimen fractæ pacis publicæ dicitur & ſupremo ſupplicio expiatur. *Ord. Crim. art.* 128. *Rec. Imp. de An.* 1548. *tit.* **von Poen der Friedbrecher,** *Ord. Cam.* P. 2. *tit.* 9. Sed & ſepulchri violati crimen qualificatum

exiſtit,

existit, cum quis armata manu hominibusque collectis vel sæpius cadavera defunctorum effossa spoliat & insepulta relinquit, in quem severius proceditur, quam qui non adhibita vi sepulchrum violavit, quippe ex L. 3. §. 7. ff. *Sepulchr. viol.* & L. 11. ff. *eod.* capite plectendus erit. Quanquam Lex postrema humiliores ea in re discernit ab honestioribus atque hos tantum deportandos vel relegandos jubet. Sed neutro casu Legis cit. 11. pœna hodie adhibetur, propterea quod defuncti nihil amplius rerum humanarum possidere videntur. Crimen quoque effracti carceris qualificatum est, si quis vi armata vel collectis hominibus reum quendam carceri effracto exemerit, quod quidem ultimo supplicio vindicatur, quippe criminis fractæ pacis publicæ species est. Nam alia effractio simplex mitius punitur & extra ordinem.

§. XLV.

Ipsam quidem actionem malam, seu quid inprimis factum sit, hoc loco qualitatis contineri, supra dixi. Sed incidunt multæ causæ, ut præter eum, qui primario deliquit, alii quoque vel adjutores, vel ex aliqua parte socii, vel impulsores delicti exstiterint. Qui deliquerunt sane singuli, sed qua pœna afficiendi sint, videndum. Alios enim aliis delinquere plus, sane palam est. Primum qui in furto ipso exequendo perficiendoque *opem & auxilium* ferunt, ut scalas, verbi causa, vel ferramenta commodent & lucrum quoque participent, ii quidem eadem legis pœna, quæ in fures scripta est, tenentur. Plane enim a furibus ipsis nihil distant. Sed qui ope auxiliove nullo collato *consilium* furibus dederunt, neque rerum surreptarum partem tulerunt, extra ordinem coercentur, quod ii tantum furum pœna teneantur, qui ope & con-

filio qualificato furem adjuverunt. §. 11. J. *de Oblig. quæ ex del. nasc.* Proinde qui uxori cujusdam vel filio ad res patris vel mariti auferendas opem tulit, ordinaria pœna tenetur, etsi filius quidem ipse vel uxor eadem liberentur. §. 12. J. *de Obl. quæ ex del.* L. 52. *pr.* & §. 1. L. 36. §. 1. ff. *de Furt.* In cædibus sane consulens & mandans eadem pœna tenetur, quam qui cædem perpetravit. L. 15. §. 1. ff. *ad L. Corn. de Sicar.* L. 38. ff. *de Pœn.* §. 11. J. *de Injur.* Qui in necem cujusdam conspirant dolose, omnes quidem capite plectuntur. Sed si in rixa occidendi consilio non communicato interfectus quidam sit, & qui vulnus letale inflixerit, exploratus sit, is capitis pœna solus afficitur; sin autem plures letalia vulnera impresserint, eorumque auctores explorati sint, quamvis ex quo vulnere occiso pereundum fuerit, non constet, ii quidem omnes capitis supplicium luunt. *Ord. Crim. art.* 128. Quod si tamen de eo, qui letale vulnus intulerit, non constet, omnes extra ordinem puniuntur. De iis quidem, quorum ope, auxilio consiliove stupra & adulteria conciliantur, agit *Ord. Crim. art.* 123. vid. supra *Cap.* XXIV. §. XXV. & XCIX. item de iis, qui pugnis aliorum singularibus intersunt, neque cum possint, quo minus eæ fiant, impediunt, quive ad digladiandum alios impellunt, vid. *Cap.* XXIV. §. XCI. De iis quoque, qui furibus & raptoribus receptaculum præbent, vid. *ibid.* §. CIV. & qui occasionem homicidis & subsidia evadendi suppeditant, vid. *ibid.* §. XVI.

§. XLVI.

Sed quoniam de qualitate delictorum diximus, sequitur nunc, ut QVANTITATIS quoque locum persequamur. Et quantitate quidem abigeus olim a fure secernebatur, quod qui

qui unum ſuem ſurripuiſſet, ut fur coerceretur, qui gregem, ut abigeus. L. 16. §. 7. ff. *de Pœn.* Sed hodie ſive unus ſus, ſive grex abactus ſit, ceterorum furum pœna obtinet, hoc eſt, pretii rei ablatæ ratio habenda eſt, & abigei hi demum habentur, qui equos abegerunt. Quantitate quoque ſeu numero turba a rixa diſtinguitur. Turba quippe eſt coetus non trium, ſed decem vel plurium hominum, rixa vero etiam duorum eſt. L. 4. §. 3. ff. *vi bon. rapt.* Et turbam quidem concitare præſertim contra Magiſtratum, ſeverius interdictum eſt. Eſt enim genus ſeditionis. *Ord. Cr. art.* 127. *Jus Statut. Luneb.* P. 8. *Tit.* 5. Quamobrem cives jurejurando obſtringi ſolent, ipſos contra Magiſtratum neque factionem neque turbam excitaturos, **daß ſie keine Parthey noch Auflauff gegen die Obrigkeit machen wollen,** quæ formula juramento civium Cellenſium inſerta eſt. Quantitatis item ratio habetur in furto ſimplici, quod, ſi infra V. ſolidos ablatum eſt, parvum habetur, ſin V. ſolidorum pretium ablata res vel attingat, vel ſuperet, magnum. Et furtum quidem ſimplex parvum, poſtquam actiones in duplum & quadruplum ab uſu receſſerunt, extra ordinem hodie coercetur, aliter ac magnum, in quod pœna laquei ſcripta eſt. Qua in re tamen rei ablatæ valor ſecundum damnum, quod dominus ſenſit, non quod lucrum inde fur perceperit, taxandus eſt, **wie ſchädlich dem Beleidigten der Diebſtahl ſeyn mag.** Et ſi ſemel atque iterum furtum ſit commiſſum, utriusque quantitas & rerum ablatarum pretium conſideratur, an ſibi invicem adjecta V. ſolidos attingant. Quanquam in noſtris terris nihilominus furem antea jam ob furtum animadverſione quadam coercitum fuiſſe, oportet. Sed in furto tertium commiſſo quantitatis rationem non haberi, cavit Imperator *art.* 162. Quid? ſi plures ad furtum patrandum concurrerint? Et tum ſane quantitas univerſa

ablata inter fures dividenda eſt, ut an cujusvis portio V. ſolidos attingat, conſtet. Quod ſi ipſi fures res ablatas inter ſe jam diſpertierint, neque V. ſolidorum ſummam cuidam tribuerint, is pœna ſuſpendii liberatur. *Conſt. Sax.* 32. P. 4. Quod licet Jure tantum Saxonico Electorali conſtitutum ſit, tamen hoc in aliis quoque locis ſervatur, & ſervari ratio ipſa jubet. Non ejusdem quantitatis in famulorum domeſticorum furtis noſtro jure ratio initur, ſed in his ad pœnam laquei incurrendam ſatis eſt, V. Imperiales furatum eſſe, uti ſupra *Cap.* XXIV. §. XLII. & XLV. relatum eſt. Sane de furto quoque eſculentorum, quod fit neceſſitate famis, Ordinatio Criminalis *art.* 166. cavit, ut quodammodo etiam quantitatis ratio habenda ſit, num alicujus momenti ſint eſculenta ſurrepta, nec ne. Quod ſi nullius momenti ſint, & famis extinguendæ cauſa ſurrepta, nulla pœna obtinet, alias quidem extraordinaria. Poſtremum quodam etiam modo quantitatis ſeu damni dati ratio habenda eſt in falſo, *Ord. Crim. art.* 112. item in ſtellionatu L. 36. §. 1. ff. *de Pign. act.* L. 1. C. *de Crim. Stell.* neque minus in decoctione ſeu Banco-ruptione, vid *Cap.* XXIV. §. LX. item in incendio culpoſo, *ibid.* §. LIV. & in incendio ſylvæ vel ericeti, *ibid.* §. LVI. In crimine quoque reſidui quantitas pœnam varie determinat. Nam ſiquidem ſumma C. Thalerorum ſit, qui hoc crimen commiſerunt, ultimo ſupplicio afficiuntur, ſin minor ſumma, in opus publicum condemnantur & præterea infames fiunt. Vid. *Cap.* XXIV. §. LII.

§. XLVII.

Ultimo loco EVENTVS quid ad delictorum pœnam vel augendam vel minuendam conferat, videndum eſt. Divum quidem Hadrianum reſcripſiſſe refert Calliſtratus in L.

14.

14. ff. *ad L. Corn. de Sicariis*: *In maleficiis voluntatem ſpectari, non exitum.* Sed hoc de exitu feliciori, qui præter malam voluntatem ſequitur, intelligendum eſt. Nempe qui ad actum proximum proceſſit, exitusque contra ejus voluntatem felicior fuerit, nihiloſecius quod felicior eventus ceſſerit, pœna ordinaria ex hac lege tenetur. Occidendi, verbi cauſa, alterum voluntas fuit, ſed letale vulnus infligi non potuit; idem ſane eſt, ac ſi exitus fuerit ſecutus & proinde hæc voluntas eidem pœnæ ſubjacet. Veruntamen moribus noſtris aliud ſervatur, quippe felicior eventus incepti maleficii pœnam ſemper minuit. *Brunn. ad* L. 16. ff. *de Sicar. Harprecht* ad §. 5. J. *de publ. Jud. n.* 386. *Anton. Matthæi de Prob.* C. 1. *n.* 63. Sed non ab re eſt, formulas de eventu nonnullas tradere, quarum una hæc eſt: *quoties conatum in maleficio triſtior eventus ſequitur, quam qui animo intendebatur, isque ex maleficio oriturus facile prævideri potuit, toties tenetur faciens de omni eventu, qui ſubſequitur.* Quorſum pertinet quæſtio de eo, qui animum vulnerandi habuit, ſed præter animi intentionem ſuam alterum occidit; item ſi quis poculum amatorium cui dederit isque inde perierit, licet animum occidendi non habuerit, ultimo ſupplicio afficitur. L. 38. §. 5. ff. *de Pœn.* Eadem ratione ſi quis armata manu collectisque hominibus alium de poſſeſſione ſua dejecerit, inque ea turba homo occiſus ſit, auctor turbæ capite plectendus eſt. L. 6. C. *ad L. Jul. de vi publ.* Altera formula hæc eſt: *Quoties infelicior eventus prævideri non potuit, toties propter eum faciens non quidem pœna ordinaria tenetur, ſed quod in re illicita verſatus eſt, extra ordinem coercetur.* Dixi autem, *in re illicita.* Plane enim, ſi ex facto licito præter animi intentionem exitus infelicior ſuccedat, qui prævideri facile haud potuit, faciens ab omni pœna eſt immunis, ut ſi quis in ſylva, in qua jus venandi ipſi eſt, cervum glande ignea trajecturus

hominem forte obvenientem præter intentionem ſuam occidit, liber ab omni pœna eſt. Sed qui in ſylva aliena, in qua venandi jus ipſi nullum eſt, globulum igneum in cervum ejaculans hominem obvenientem percuſſit, utique pœna extraordinaria tenetur, quod in re illicita verſatus eſt.

§. XLVIII.

Omnino in omni crimine multum intereſt, *inceptum* modo ſit delictum ſeu attentatum, hoc eſt, in conatu perſtiterit, an vero *conſummatum* ſit atque ad effectum deductum. Neque enim conatus, ſi felicior eventus ſucceſſerit, eodem modo vindicatur, quam ſi conſummatum & perfectum fuerit flagitium. Conſummatum vero furtum dicitur, cum rem ablatam fur omnino in cuſtodiam ſuam detulit. Quod ſi enim antequam rem in cuſtodiam ſuam omnino perduxit, fur cum re deprehenditur, resque ſic a domino recuperatur, jure Romano quidem furtum conſummatum hoc habetur & nominatim manifeſtum dicitur, L. 3. 4. 5. ff. *de Furtis*, ſed hodie hoc habetur modo attentatum. Adulterium conſummatum tum dicitur, cum ſemen immiſſum eſt, quod ut exploratum ſit, utriusque tam adulteri, quam adulteræ confeſſio deſideratur. Neque enim hoc per teſtes probari poteſt. Quod ſi igitur exploratum hoc non eſt, pœna ordinaria locum non habet. Secus ſe res habet, ſi civiliter agatur ad divortium, nam tunc conjecturis probatio perficitur, verbi cauſa, ſi adulter cum adultera eodem lecto deprehendantur. Neque enim nudus cum nuda in eodem lecto repertus orare pater noſter præſumitur. Sed homicidium quidem attentatum eſt, cum mors ex impreſſo vulnere non eſt ſecuta. Proinde ſi malum regimen tum medici, tum hominis ipſius vulnerati aliave ſymptomata

mata accedant, quæ cauſam mortis præbeant, pœna ordinaria non decernitur. *Ord. Crim. art.* 47. Conſtare quoque inprimis oportet de letalitate vulneris abſoluta, de qua indaganda egi ſupra *Cap.* VII. §. VIII. *ſeq.* Sed ſiquidem vulneratus nonum diem ſuperaverit, non ex vulnere accepto, ſed ex alio quodam ſymptomate, quod acceſſerit, defunctum plerique volunt. Rectius tamen dicetur, diem iſtum criticum fallere ſæpenumero, unde Medicorum potius judicio ſtatur, quamvis Ordinatio Criminalis *art.* 147. eundem non omnino rejeciſſe videatur, verbis: **Wie lang der geſtorbene nach den Streichen gelebet habe.** Falſi crimen conſummatum habetur, ſi hoc facto damnum revera cuiquam datum eſt. Quamvis igitur literæ vel inſtrumenta falſa confecta ſint, quoad damnum iis nemini illatum eſt, falſum dicitur attentatum. Sed incendii quoque crimen tum demum perfectum conſummatumque exiſtimatur, cum materia flammam concepit. Omnino & veneficium manebit attentatum, quando ex veneno malo propinato alius vel nullum vel levius damnum accepit; ſin autem mors vel grave quoddam & irreparabile damnum inde profectum ſit, ut puta morbus perpetuus, articulorum convulſio, tum ſane conſummatum dicitur, *Ord. Crim. art.* 130. **an ſeinem Leibe oder Leben;** quanquam, ſi poſterius illud ſit, non ignis, ſed gladii pœna obtinebit. Magiæ crimen tum perfectum habetur, cum quis hac re damnum aliis intulit. *Ord. Crim. art.* 109. Quo non ſecuto locum habet pœna extraordinaria, vid. Cap. XXIV. §. V. Plane in ſtupro quoque violento multum intereſt, inceptum ſcelus ſit, an perfectum. Quod ſi enim conſtuprator delictum perficere non potuit, vel quod puella reſtitit, vel ob aliam cauſam impeditus, fuſtigatio tantum vel relegatio decernitur. *Ord. Crim. art.* 119. Injuria quoque ſcripta conſummata tum demum habetur, cum inſinuata eſt

ei,

ei, qui hac afficitur vel etiam ejus ſervo aut procuratori, *arg. L.* 14. §. 17. *ff. de Furtis.* Neque vero differentiæ hujus ratio habetur in crimine læſæ majeſtatis, ſeu perduellionis, in quo & conatus pœna ordinaria coercetur. *Aur. Bull. cap.* 24. Neque item in crimine raptus, ſiquidem etſi raptam raptor non cognoverit, pœna ordinaria tenetur. L. *un.* C. *de rapt. virg.* Sed, ſi verum fateri fas eſt, ad crimen raptus conſtupratio quidem non deſideratur, potius hoc perfectum jam eſt, ſi libidinis cauſa tantum rapta fœmina ſit, quippe hæc ei definitio convenit. Atque idem de veneficio, aſſaſſinio & parricidio dicendum eſſe, arcte quidem tenent accurateque defendunt Doctores. *Ant. Matthæi de Prob.* c. 1. *n.* 63. *in f.* & *ſeq.* item *n.* 81. *ſeq.* Sed hoc ita verum eſt, ſi damnum grave & irreparabile per conatum in his delictis perſonæ conjunctæ, vel alii cuiquam veneno datum fuerit. *Quoties* igitur, ut ſummatim comprehendam omnia, *delictum omnino conſummatum non eſt, toties in irroganda pœna Judicis arbitrium exiſtit*, niſi lex conatum quoque eadem animadverſione dignum judicaverit.

§. XLIX.

Ad hunc locum pertinet quoque *transactio cum parte offenſa*, quæ pœnam ordinariam mitigat, ſi leges tantum ei vis tribuerunt, vel in quibus delictis læſio partis offenſæ ſeu privata publica potior a legibus habetur. Aliter enim transactionis ea vis non eſt, neque etiam ſi ex ea cauſa pœnam mitigari, lex diſerte prohibuerit, quod factum eſt Conſtitutionibus noſtris ob furta domeſtica atque ob abigeos latis, vid. *Cap.* XXIV. §. XLII. & XLVI. quæ reſtitutionis factæve cum parte offenſa transactionis rationem in pœna dictanda haberi nullam præcipiunt. Quamobrem in his quoque transactionis hujus

hujus nulla vis erit. Dicendum vero hoc loco, transactionis appellatione nobis non tantum partis offensæ remissionem injuriæ damnique ex delicto accepti, verum etiam factam a delinquente damni restitutionem significari. Sed in quibus delictis ejus transactionis vis se exserat, videndum est.

§. L.

Furtum quidem vel manifestum est, **worüber der Dieb betreten und beschreyet wird,** vel nec manifestum, **ein heimlicher Diebstahl.** Quæ Juris Romani distinctio repetita est *Ordinatione Carolina Crim. art.* 157. & 158. Atque inde hæc constitutio furem manifestum, nisi quadruplum restituere possit, fustibus cædi, nec manifestum vero, qui duplum, quo restitutæ rei pretium continetur, non restituerit, carcere mulctari jubet. In utroque tamen rei ablatæ pretium V. solidos, vel X. Imperiales attingere non oportet. Tametsi vero restitutio furti & de hoc cum domino facta transactio in praxi quoque furti simplicis pœnam minuat, nihil tamen referre hodie putamus, manifestum furtum sit, an nec manifestum, vid. *Cap.* I. §. 11. Neque etiam hodie dupli pœna vel quadrupli, sed alia vel carceris, vel relegationis decernitur, quin apud nos quoque, etsi jure Romano furi pœnitentia subsecuta non prosit, L. 65. ff. *de Furt.* si ablatam rem fur restituat, vel si dominus ei hoc remisit, vel in ergastulum, vel in opus publicum pro Judicis arbitrio ad tempus datur.

§. LI.

Sed hoc amplius *Constitutio Criminalis art.* 158. 159. & 160. a furto simplici *qualificatum* secernit, quod quidem armis

adhibitis, ſed & conſcendendo vel effringendo perfici diximus. *Simplicis* quoque duplex ratio eſt. Nam vel X. Imperialium pretium non attingit, & ſic parvum erit, vel attingit, & magnum dicitur. Plane furti & ſimplicis & parvi pœna arbitraria hodie eſt, cum in duplum & quadruplum actiones jam diu ab uſu receſſerunt. Sed & in determinanda ea pœna reſtitutionem rei ablatæ, vel transactionem cum parte offenſa ſubſecutam eſſe, refert. Quin & ſi inquiſitione jam incepta domino fur ablatam rem reſtituere, vel pretium ejus refundere velit, in Praxi adhuc auditur. Similiter furti & ſimplicis & magni pœna ſecundum *Ord. Crim. art.* 160. in arbitrio Judicis poſita eſt, in eaque definienda ratio ducenda eſt non ſolum pretii rei ablatæ, quod ſecundum damnum, quod dominus ſenſit, non quod lucrum inde fur perceperit, dimetiendum eſt, **wie ſchädlich dem Beleidigten der Diebſtahl ſeyn mag**, verum & an reſtitutio rei ablatæ vel facta ſit, vel fieri poſſit. Plane ob furtum tertio commiſſum, habita differentia nulla, laquei pœnam decerni jubet Imperator, neque in hoc ablatarum pretium reſpiciendum eſſe, ſtatuit art. 162. Quocirca in hoc quoque transactionis privatæ nulla vis erit. Neque item in furto qualificato, quod in qua re conſiſtat, jam dixi. Plane enim in hoc nihil intereſt, parvum fuerit furtum, an magnum, reſtitutum, an non reſtitutum, punitus antea fur ſit, an non punitus. Sed qui hoc commiſit, laqueo ſuſpenditur, per *art.* 163. Neque enim in hoc crimine privatæ læſionis rationem lex habuit, ſed violatæ tranquillitatis publicæ.

§. LII.

In crimine *expilatæ hæreditatis* inquirendi ex officio idque puniendi, deficiente accuſatore, arbitrium Judici Imperator

ademit *art.* 165. Sed hoc ita intelligendum eſt, ut expilatio a cohærede facta ſit, quod articuli adducti rubrum ſatis declarat. Statuto quidem Luneburgico P. 8. *Tit.* 42. alienæ hæreditatis vacuæ expilatori eadem, quæ ceteris furibus pœna dictatur, nimirum ut pretium ablatarum rerum reſpiciatur. Vid. *Cap.* XXIV. §. CIV. Jus Romanum vero ob poſſeſſionem adhuc vacuam alienarum hæreditatum expilatores arbitrario puniendos jubet L. 1. §. 3. ff. Expil. hered. Hodie quidem cum reliquis furibus eodem modo puniendos vulgo tradunt, ſed commodius dicetur, niſi Statutum ea in re obſit, pœnam decernendam eſſe arbitrariam, & humiliores quidem relegandos vel in opus publicum dandos eſſe ad tempus pro quantitate rei ablatæ, honeſtiores autem vel ab ordine movendos, vel conſilium iis abeundi dandum eſſe. In quo delicto cum itidem læſio privata publica non minor habeatur, transactione cum parte offenſa facta reque ablata reſtituta pœnam iſtam arbitrariam minui, plane non dubitamus.

§. LIII.

Quæ ſit criminis *de reſiduis* pœna, dictum eſt ſupra. Sed hoc quoque arbitrium Judicis circa pœnam recipiet, ſi de reſiduo cum fiſco transactum, vel reſtitutio facta eſt, propterea quod in hoc quoque privata læſio fiſci vel eccleſiæ publica potior habetur. Vid. *Cap.* XXIV. §. LII. Sed an in *ſacrilegio* ſimplici reſtitutio rei ſurreptæ Judicis arbitrio ad mitigandam pœnam locum det, de ea re non eadem omnium eſt opinio. Sed propius eſt, ut exiſtimari debeat, eam cauſam admitti, propterea quod *Conſtitutio Criminalis art.* 175. diſerte cavit, ut quo in profanarum rerum furtis, eodem etiam modo in ſacrilegiis procedatur, verbis: **und wie von weltlichen Diebſtählen deßhalben geſetzet iſt, darinnen gehandelt werden.** Proinde

 cum

cum in aliis furtis simplicibus restitutio factaque cum parte offensa transactio pœnam minuat, hoc in sacrilegio quoque verum erit. Alia sane causa est sacrilegii qualificati, quod fit conscendendo vel effringendo. *Ord. Crim. art.* 174. Neque etiam Statutum Luneburgense P. 8. *tit.* 36. arbitrium omnino Judicis circa sacrilegii pœnam excludit, verbis: **man könnte ihm denn etlicher Umstände halber Gnade und lindere Straffe wiederfahren lassen.** Sed in crimine *rapinæ* seu *Robbariæ*, ut vocant, transactio cum parte offensa facta reique raptæ restitutio nihil rapienti & grassatori præsidii dat, sed hic sine ulla differentia, capitis pœnam dat; & hoc Doctores omnes ad *art.* 126. *Ord. Crim.* probant, propterea quod in crimine rapinæ non tam spolii reique captæ, quam securitatis violatæ publicæ ratio habetur, quæ sane restituta re erepta non reparatur. L. 5. ff. *Vi bon. rapt.* Aliud dicendum est, si forsitan ex lascivia juvenili factum sit. Quanquam si ratio quædam mitigandi adest, ad Principem ea de re referendum est. Ceterum quas Jus Romanum contra raptorem actiones intra annum ad quadruplum, post annum ad simplum consequendum concedit, *pr. J. Vi bon. rapt.* eæ hodie non sunt in usu, neque moribus unquam Germaniæ receptæ fuerunt.

§. LIV.

Omnino quidem in *adulterio* transactionem cum parte immerente offensa, hujusque deprecationem mitigare pœnam, id exposui supra ex *Ord. Polit. Luneb.* Capite hujus libri XXIV. §. XVII. & XVIII. Sed hoc ita, ut sine pecunia interveniente fiat. Plane enim si pecunia interveniat, hæc transactio species est lenocinii. Illud tractari solet, an hæc transactio in crimine quoque *bigamiæ* pœnam mitiget. Et Bergerus quidem,

dem, Gribnerus aliique putant, prioris conjugis innocentis intercessioni locum esse. Quibus assentiendum putamus. Fortius enim dicetur, contrariam istam sententiam niti hoc principio, quod matrimonium sacramentum sit, quod quidem papizans esse, nemo non novit. Et hoc probavit quoque Rex & Elector noster clementissimus, in causa Inquisitionis contra Bigamum quendam Klugium, cui cum mortis pœna dictanda esset, intercedente & deprecante conjuge priori Rex substituit operis publici labores per biennium. Vid. Cap. XXIV. §. XXVII. & XXVIII. Plane in *stupro violento* partem offensam intercedere & deprecari pœnam constupratoris, nihil expedit, propterea quod hujus delicti & pœna & ratio eadem est, quam quidem rapinæ *Ord. Crim. art.* 119. in quo cum transactio cum parte offensa reive ablatæ restitutio ad mitigandam pœnam nihil conducat, neque in stupro violento quidquam conducet. vid. §. præc. LIII. Sed quod Jus Canonicum matrimonium inter raptorem & raptam permittit c. 7. X. *de rapt.* eadem ratione in crimine quoque stupri violenti, pœnam volunt mitigandam esse, cum fœmina vi compressa ignoscere constupratori eique nubere velit. Sane in crimine raptus arbitrium Judicis variis modis conspicitur. Hoc quidem loco inprimis meminerimus, *raptorem*, qui pœnitentia ductus fœminam raptam parentibus vel marito illibatam restituerit, pœnam ordinariam effugere. Et hoc procedit quoque si parentes postea in matrimonium raptoris cum rapta consentiant, vel si fœmina rapta sui juris intercedat pro raptore, vel omnino nubere ei velit, atque ita injuriam sibi illatam remittat, secundum c. 7. X. *de rapt.* quæ quidem extrema species differt a prioribus, quod in hac pœna omnis cessat.

§. LV.

Incendiarius dolosus certe, quamvis damnum incendio datum resarcire paratus sit, mitius idcirco non plectitur. Sed cujus *culpa* incendium coortum sit, ejus, si damnum restituerit, pœna mitigatur. L. 27. §. 9. ff. *ad L. Aquil.* Plane in crimine *falsi* transactione cum parte offensa damnique restitutione pœnam mitigari, extra omnem dubitationem positum est. Nam id quidem in decernenda pœna falsi considerandum Judici diserte præcipit *Ord. Crim. art.* 112. **ob die Verfälschung boshafft oder schädlich geschiehet.** Atque id in determinanda *stellionatus* pœna observandum quoque est. L. 1. C. *de crim. stell.* Et hæ sunt præcipuæ delictorum species, in quibus transactio cum parte offensa secundum leges nostras pœnam ordinariam mitigare solet. De illo demum quæritur, an in *homicidio* quoque, *latrocinio*, crimine *læsæ majestatis* &c. partis offensæ remissioni aliquid ponderis insit. Et *Kleinius* in Diss. *de in- & exculpatione moribundi Cap. ult. n.* 42. seq. ideo negat, quod hæc delictorum remissio tollat quidem jus privatorum, non item reip. & justitiæ debitum. Sed etsi re ipsa a Kleinii sententia alieni non sumus, neque tamen rationem ejus adductam probamus. Quæ enim ratio adest, ob quam remissio partis offensæ tantum valeat in furto, stupro violento, adulterio, raptu &c. ut Judex ob hanc causam pœnam mitigare possit. Nam in his quoque partem tantum læsam injuriam sibi illatam remittere, quem fugit? Propius est igitur, ut existimari debeat, in homicidio, incendio doloso, latrocinio, rapina &c. magis a legibus violatæ hoc facto securitatis & tranquillitatis publicæ, quam damni privatorum injuriæque his illatæ rationem haberi, neque in his tantum transactioni privatæ virium a legibus tributum esse. vid. §. XLIX.

hoc

hoc Capite. Quocirca ea transactio quoque in his criminibus effectu omni destituta erit. Plane in crimine læsæ majestatis ea transactio diserte interdicta est L. 5. §. 2. C. *ad L. Jul. Maj.* add. *Aur. Bull. tit.* 24. Commode *Gribnerus* T. V. *Opusc.* S. 4. c. 1. §. 3. *Quod in furto intercessioni locus datur, gratiæ id debetur Principis vel Legis, non virtuti precum.*

§. LVI.

Reliquum est, ut quæ de circumstantiis delictorum adducta sunt, quomodo quæstione proposita *applicentur*, & quo pacto arbitrium Judex suum in determinanda pœna commodissime interponat, videamus. Ac *primum* quidem facinus ipsum, seu *delictum* in *abstracto*, ut vocant, generatim est considerandum, cui rei definitio delicti curata multum inserviet, unde singula criminis perpetrati signa sedulo investigentur. *Tum* an ipsa lex forsitan certos hujus delicti *gradus* distinxerit, dispiciendum est. Nam ita factum est in furto, quod secernitur parvum a magno, primum ab eo, quod iterum committitur, simplex ab qualificato, a domestico alia. Sane adulterii quoque duplex ratio est, simplicis & duplicati. Sed & stuprum repetitum a primo, ab simplici violentum distinguitur, & quæ sunt generis ejusdem. Omnes quidem isti delictorum gradus probe separandi sunt, utpote quos in determinanda pœna separari ipsa lex jubet. *Deinde* ad omnem Judicis arbitrii quæstionem pertinet, semper animum ad id advertere, num quæ ex iis *circumstantiis*, quas supra sigillatim percensuimus, vel antecedant factum, vel id comitentur, vel subsequantur. Hac enim ratione, an signa delicti secundum definitionem in abstracto considerati omnia in proposito occurrant,

currant, facile intelligetur. Quorum altero deficiente, nunquam ad pœnam ordinariam gradui huic delicti alias a lege impositam procedere Judex poteſt, ſed extraordinaria ſemper decernenda eſt. Sed & an delictum ex circumſtantia quadam vel augeatur & atrocius fiat, vel minuatur & levius ſit, facile inde intelligetur. *Præterea* ſi delictum ex circumſtantia quadam vel atrocius fieri, vel levius, intelligat, num forſitan hoc in aliud delicti genus migret, & ſpeciali a lege nomine notetur, diſpiciendum eſt. Rem alienam, verbi cauſa, contrectavit quis lucri faciendi cauſa domino inſcio & invito palam in via publica, & delictum furti ob circumſtantiam loci degenerat in rapinam. Vel conſtituamus, rem alienam domino inſcio & invito contrectari in via publica, at non lucri faciendi cauſa, ſed forſitan ex laſcivia, cujusmodi ſpecies relata eſt apud B. *Thomaſium Tom.* II. der *Juriſti*ſchen Händel *Caſu* II. & tunc rapinæ quoque delictum deficit, & crimen vis publicæ vel injuriæ ſupereſt. In neutra igitur ſpecie decerni poteſt furti pœna, ſed in una rapinæ, in altera vis publicæ vel injuriarum. *Deinde* ſi circumſtantia concurrens naturam delicti non invertat, probe ſecernendæ ſunt circumſtantiæ *facti* & *perſonarum*. *Facti* enim *circumſtantiis* pluribus *concurrentibus*, quarum altera minuit delictum, altera aggravat, aggravantis potius circumſtantiæ ratio habenda eſt, & ſecundum illam pœna dimetienda, neglecta leviori factumque imminuente. In furto, verbi cauſa, delictum minuit pretium rei ablatæ modicum, effractio, conſcenſio in ædes armaque adhibita aggravant. In propoſito igitur circumſtantiæ non quidem minuentis delictum, ſed aggravantis ratio habenda eſt, & ſecundum illam pœna determinanda. Eodem modo in expoſitione infantum minuitur factum, ſi expoſuerit infantem mulier miſericordiæ prætereuntium conciliandæ gratia. Sed expo-

ſitio

sitio tempore hyemali facta, vel in loco solitario facinus aggravat. Per contrarium autem *circumstantia* concurrens *personæ* in definienda pœna excludit circumstantiæ factum aggravantis vim. Juvenis annos pubertatis vix egressus in ædes alienas, vel filius in patris, conscendentes vel earundem effractione facta furtum magnum commiserunt, quæro, an ordinaria hujusmodi furum pœna teneantur. Et magis est, non teneri potiusque respiciendam esse circumstantiam ætatis, personæ ejusque conditionis seu status, etsi concurrant circumstantiæ factum alias aggravantes, mitioremque propterea pœnam decernendam esse, nisi malitiam supplevisse ætatem, constet. Quod idem de domino quoque rem suam rapiente, item de fœmina infantem exponente verum est. Atque hujus circumstantiæ tantus favor est, ut Doctores eandem quoque extendant ad uxorem, quæ criminis læsæ majestatis a marito committendi scientiam habuit, neque eum accusavit, cum alias qui cognovit hoc delictum, neque accusat auctorem, eadem cum ipso pœna affici soleat. *Tum* si lege certa quædam pœna in delictum constituta sit, num lex gradum quendam delicti, an generatim delictum respexerit, videndum est. Si superius illud, & circumstantia quædam adsit, quæ delictum aggravet, vel pœnæ quoque gradus major, & proximus quidem substituendus est, vel augmentum pœnæ ordinariæ quoddam adjiciendum. In homicidium verbi causa *Ordinatione Criminali art.* 137. gladii pœna scripta est, sed respexit lex illud homicidii genus, quod ex iracundia nimia animique æstu commissum est. Sin autem accesserit circumstantia hæc aggravans, consulto cædem adjunctisque insidiis perpetratam esse, gradus pœnæ proxime superior, puta rotæ, Imperatore ipso monente substituendus est. Quod si ratio quoque personarum, quæ occiduntur, crimen auget, exacerbatio alia &

 augmen-

augmentum pœnæ adhibendum, ut, verbi gratia, vel trahæ alligetur, vel forcipibus candentibus laceretur. Aliud exemplum hoc eſt. Legibus provincialibus noſtris certa quædam & definita pœna vel pecuniaria, vel carceris in ſtuprum conſtituta eſt. At reſpexerunt leges quendam delicti gradum, ſcilicet ſi ſemel vel iterum fuerit commiſſum. Quod ſi igitur accedat circumſtantia quædam aggravans loci, verbi cauſa, cum in templo vel palatio Principis commiſſum eſt (*Cap.* XXIV. §. XXIV.), mulcta pecuniaria vel carceris tempus recte *duplicabitur*, *arg.* L. 8. §. 7. ff. *de pœnis*. Quin & ſi tertio ſit commiſſum ſtuprum, gradus pœnæ proxime carcere ſuperior, puta relegatio decernenda eſt. In altera quæſtionis parte cum generatim lex delicti pœnam definiit, gradus cujusdam ratione non habita, pœnarum augmentum locum non habet. Verbi cauſa, fur, qui Imperiales mille furatus eſt, acerbius haud plectetur, quam qui duodecim tantum Imperiales abſtulit, propterea quod lex generatim, ablatarum rerum pretii, X Imperiales excedentis, ratione non habita, laquei pœnam conſtituit. Eadem ſane ratio in circumſtantiis crimen minuentibus ſervanda eſt. Fur, verbi cauſa, ſemel abſtulit thaleros quinque & ob eam cauſam punitus fuit, ſed iterum Imperiales XII. ſurripuit, ſane hunc laqueo ſuſpendi leges noſtræ jubent. Sed conſtituamus, eum nondum eſſe punitum ob primum furtum, & proximus pœnæ gradus mitior, condemnatio ad operis publici labores perpetuos ſubſtituenda eſt. Fingamus, accedere aliam circumſtantiam, quæ delictum minuat, puta ut inquiſitioni ſubjectus rem ejusve pretium domino reſtituerit, & tum quoque proximus gradus mitior ſuccedit, nimirum datio in opus publicum ad tempus, ut puta X. annos *arg.* L. 8. §. 7. ff. *de pœn.* Finge amplius, furem pœnitentia ductum rem ultro & ante reſtituiſſe, quam

ad

ad inquiſitionem tractus ſit, & anni ſuperiores, ut puta decem, iterum dividendi ſunt, ut fur hujusmodi non niſi per quinquennium in opus publicum detur, *arg.* L. *cit.* 8. §. 7. ff. *de pœn.* *Poſtremum* ſi plane pœnam delicti lex determinavit nullam, ſed eandem Judicis arbitrio definiendam omnino reliquit, JCtorum Romanorum more, an fictione quadam hujus delicti cum alio quodam, cujus determinata pœna eſt, ſimilitudo poſſit effici, videndum eſt. Qua in re ſufficiet, ut tranquillitas modo publica eadem ratione convellatur. Arbitraria, verbi cauſa, in terris Electoralibus noſtris hodie eſt pœna bigamiæ. Quam igitur decernet Judex? Nempe delictum bigamiæ ſimile adulterii eſt & idcirco ad eum modum relegationis pœnem dictari bigamo omnino oportet. Sed cum in bigamiæ crimine circumſtantia hæc aggravans accedat, quod bigamus benedictione ſacerdotali ad perficiendum facinus ſuum turpiter abuſus eſt, haud immerito proxime ſuperior pœnæ gradus & condemnatio quidem ad operis publici labores in annos quosdam ſubſtituitur. Sane arbitrariæ ſi eſſent pœnæ raptus & ſtupri violenti, rapinæ pœna determinata, ad ſimilitudinem hujus delicti cum illis, quippe in iis vis publica eodem modo fit, & tranquillitas publica eadem quoque ratione labefactatur, rapinam committentium pœna certa ac determinata virginum raptoribus & conſtupratoribus violentis applicari poſſet. Furis quoque & doloſi decoctoris magna eſt ſimilitudo. Nam ut fur lucri faciendi cauſa, ita ſane doloſus quoque decoctor & lucri faciendi & creditorum ſuorum defraudandorum gratia bona occultat, vel clam aufert. Sed quod bona decoctor ſua contrectat, atque ideo ex omni parte furi ſimilis non eſt, mitior pœnæ gradus, quam in furto, condemnatio videlicet ad opus publicum ſubſtituenda eſt, quæ ſecundum quantitatem bonorum decoctorum

& commissæ fraudis vel in perpetuum decernetur, vel in tempus. Conferantur de hoc argumento L. 6. §. 1. ff. *de extraord. cognit.* L. 52. §. 22. ff. *de furt.* L. 14. ff. *de adult.* L. 6. §. 2. & L. 8. ff. *ad L. Jul. Pecul.* L. 12. ff. *ad L. Jul. de vi publ.* L. 6. ff. *ad L. Jul. de vi priv.* L. 7. §. f. ff. *ad L. Jul. repet.* & *Ord. Polit. Luneb. C.* 4. §. 5.

CAPVT XXVI.

DE RESTITVTIONE IN INTEGRVM, AGGRATIATIONE ET ABOLITIONE.

Restitutio in integrum quid sit. §. I.
De restitutione justitiæ & a quo facienda. §. II.
Quando & quomodo fiat. §. III.
Ejus effectus. §. IV.
Restitutio gratiæ. §. V.
Ejus divisio. §. VI.
De jure aggratiandi Principis. §. VII.
De causis, ob quas locum habeat & de multitudine delinquente. §. VIII.
De abolitione criminum. §. IX.
De indulgentiis Paschalibus. §. X.

§. I.

RESTITVTIO *in integrum* est in pristinum statum reductio, & non tantum in Processu civili obtinet, verum & in criminali. Priorem speciem persecuti sumus in *Introd.*

trod. nostra ad Proc. Civ. P. IV. 4. Restat, ut naturam quoque ejus & effectum in processu criminali, exponamus.

§. II.

Et restitutio quidem hæc vel JVSTITIÆ est, vel GRATIÆ. Videamus primum de ea, quæ fit EX JVSTITIA. Et hæc obtinet, cum reus in causa criminali condemnatus postea innocentiam Judici suam demonstravit. De *jure Romano* satis constat, Præsides provinciæ, merum Principis nomine imperium exercentes, damnatos per sententiam neque ex justitia restituere potuisse, sed quando qui nocens videbatur, postea ratio innocentiæ ejus constiterit, ad Principem eos hac de re scribere oportuisse. L. 1. §. *fin.* ff. *de quæst.* L. 15. C. *de pœnis.* Cujus instituti ratio politica hæc fuit, ne justitiæ restitutionum specie provinciæ Præses actum quendam gratiæ exerceret. *Dn. Bœhmerus Introd. ad Jus Dig. tit. de Sent. pass. & restit.* §. 3. Sed in *Germania*, ubi sane Jurisdictionis forma ad Juris Romani normam & limites omni ex parte revocari non possunt, præsertim cum ulterior hodie & nova defensio etiam post sententiam latam recipiatur, neque unquam denegari inquisito queat, rectius sentiunt, qui Magistratui cuivis, qui Jurisdictione criminali seu alta gaudeat, restituendi ex causis justitiæ potestatem tribuunt. *Dn. Bœhmerus c. l. Lauterb. Coll. Pand. eod. tit.* §. 1. *M..ius* P. 8. *Dec.* 172. *Brunn. ad L.* 1. *ff. de Quæst. n.* 12. Nec ad rem pertinet, quod ex L. 55. ff. *de re judic.* lata sententia judex officio suo functus & desiisse dicatur, talis esse, sive bene, sive male pronuntiaverit. Neque enim hæc ratio moribus nostris convenit, propterea quod differentiam non agnoscimus prætoris & judicis pedanei. Nam hodie sane quivis Judex ex causis

jure approbatis latam a ſe ſententiam in inſtantia Leuterationis, Supplicationis Nullitatis & Reſtitutionis mutare poteſt. Quid? quod frequentiſſime quoque accidit, ut latæ in cauſis criminalibus ſententiæ, innocentia per defenſionem clarius expoſita, ab eodem Judice libere immutentur.

§. III.

Sed niſi innocentia rei pleniſſime probata reſtituere damnatum Magiſtratus, ſive Judex criminalis non poteſt. Judices proinde ex gratia reſtituere damnatos omnino nequeunt. Neque igitur in Judicis poteſtate eſt, convertere ſententiam, qua vel relegationis, vel carceris, vel alia reo pœna dictata eſt, in pœnam quandam pecuniariam. Eſt enim hæc pœnarum commutatio & ſubſtitutio aggratiationis pars. Aliud dicendum ſane eſt, ſi eam Magiſtratui facultatem tacite vel expreſſe Princeps permiſerit. Qua poteſtate Rectores Academiarum pollere plerumque ſolent, ut relegationem in pecuniariam pœnam convertere poſſint. *Lauterb.* c. l. §. 3. *ibique cit. Ddr. Kolshorn ad Schœpferi Syn. tit. de ſent. paſſ. & reſt. in not. lit. a.*

§. IV.

Effectus reſtitutionis hujus eſt pleniſſimus. Nam hoc quidem modo omnia reo bona reſtituuntur, etiam alienata, item fructus & bona ademta. *Bachov. ad Treutl. Vol.* 2 *Diſp.* 31. *th.* 7. *tit. C. Weſenbec. tit. ff. de ſent. paſſis n.* 3. *Brunn. ad L.* 1. *C. eod.* Sed *hodie* effectus is eſt exiguus, quod bona damnatorum non amplius confiſcantur, niſi in crimine læſæ majeſtatis & perduellionis, *Ord. Crim. art.* 128. & eorum, qui publice

ſunt

ſunt proſcripti, **die in die Reichs-Ober-Acht erkläret worden.** vid. *Cap.* XII. §. IX. Nam hodie de bonis ſuis libere diſponunt damnati, quam rem perſecutus eſt *Luderus Menkenius JCtus Lipſienſis* peculiari diſſertatione *de teſtamenti factione damnatis ad mortem jure civili denegata & moribus plerisque aſſerta.* Sed an juſtitiæ cauſa facta reſtitutione a Judice, *fama* damnatis reſtituatur, quæri ſolet. Et rectius dicetur, reſtitui famam, quod hac non recepta reſtitutionis juſtitiæ effectus pleniſſimus non foret, & qui pœnam paſſus, poſtea innocens repertus cum non deliquerit, neque pœnam quoque infamiæ ſuſtinere debeat. Quamobrem eundem quoque in collegia opificum rurſus recipiendum eſſe, dubitandum non eſt. Quid ſi ſub lictorum manu fuit (**unter Büttels Händen?**) an nihilominus in opificum collegia rurſus admittendus ſit. Et Cancellaria Cellenſis conſulta a Regimine Regio & Electorali in cauſa Inquiſitionis contra piſtorem quendam H. reſpondit; eſſe quidem hunc effectum quæſtionis, ut qui ſub tormentis imputatum ſibi delictum negaverit, abſolvendus & conſequenter carcere liberatus ad ſuos dimittendus ſit, propterea quod tormentis innocentiam ſuam probaverit, iisque ſuſpiciones omnes eliſæ habeantur; ſed cum opifices inter mos invaluerit, ut torti a lictoribus in collegia ipſorum non recipiantur, metuendumque ſit, ne hujus urbis piſtores ab extraneis improbentur, **daß ſie geſcholten, und weder ihre Lehr-Knaben bey auswärtigen geduldet, noch fremde Geſellen allhier arbeiten würden,** idcirco tortum in Collegium piſtorum recipi, minime e re ſibi videri.

§. V.

Reſtitutio gratiæ dicitur quoque *Aggratiatio*, item *Indulgentia,*

gentia, qua reis confeſſis convictisve pœna ob crimen jure promerita & Judicis ſententia decreta ex indulgentia quadam & gratia remittitur. Et hæc reſtitutio a ſolo Principe dependet, penes quem ſumma in civitate omnium rerum eſt poteſtas. Unde venit, ut jure quoque civili dicatur *noſtra*, videlicet Principis, *indulgentia*. L. 2. 3. 7. 10. C. *de ſent. paſſ. & reſt.* In Imperio noſtro Germanico competit hæc poteſtas omnibus, qui Jure ſuperioritatis territorialis gaudent, cum hæc poteſtas ſit majeſtati analoga.

§. VI.

Sed eſt hæc reſtitutio gratiæ duplex, altera *plena*, altera *minus plena*. Qui plene reſtituitur, is omnino recuperat priſtinum ſtatum univerſum omniaque jura. L. 1. 3. 4. *ff. eod.* L. 1. & *fin. C. eod.* Qui minus plene reſtituitur, ei pœna tantum remittitur, honores & reliqua jura non reſtituuntur, neque ſic infamia criminis tollitur, L. 1. & 7. *C. eod.* neque patria poteſtas in liberos reſtituitur, L. 9. C. *eod.* niſi ea omnia ſpeciatim quoque reſtituta ſint, vel indulgentia & venia pleniſſime data. L. 1. & 2. C. *eod.* Neque enim reſtitutio illa minus plena plus continet, quam quantum indulgentiæ verbis expreſſum eſt. Sed nec plena indulgentia in crimine læſæ majeſtatis & perduellionis reſtitutionem bonorum a fiſco jam alienatorum efficit, quod qui ea accepit, jam habet jus quæſitum, neque indulgentia Principis in injuriam tertii verti debet. *Lauterb. h. t. §. ult.* Quod de proſcriptis quoque ab imperio ſentiendum eſt.

§. VII.

An omnino Princeps in *omnibus delictis* aggratiandi, ſeu veniam

veniam concedendi jus exercere possit, ea quæstio inter Theologos æque atque inter Juris Doctores frequentissime agitatur. Vulgo negant hoc in delictis, quæ jure naturæ & divino sint prohibita, cujus rei rationem hanc afferunt, quod Princeps quoque legibus naturalibus & divinis constringatur, utpote quæ a Deo omni hominum generi æqualiter sint præscriptæ. Sed videamus, quid huic rei veri insit. Primum igitur quod ad delicta *jure naturali prohibita* attinet, convenit quidem huic juri, ut qui delinquendo societatis civilis vinculum violaverit, pœna quadam coerceatur. Sed hoc jus pœnas plane determinat nullas, adeo ut delictorum jure naturali prohibitorum pœna omnis dependeat a legum civilium determinatione. *Grot. de J. B. & P. L.* 2. *c.* 8. §. 20. *Thomasius in Fund. J. N. & G. L.* 1. *c.* 5. §. 38. Inutilem ergo hanc quæstionis partem de delictis jure naturali prohibitis esse patet. Altera quæstionis pars est de delictis *jure divino prohibitis*, in quibus veniam concedendi Principi jus non esse, vulgo arcte tenent accurateque defendunt. Quod inprimis ajunt de causis homicidii *Gen.* IX, 6. *Exod.* XXI, 12. 14. *Num.* XXXV, 31. item magiæ, *Exod.* XXII, 18. Sodomiæ, *ibid. v.* 19. *Levit.* XX, 15. & quæ alia delicta *Levit.* XVIII. nominata sunt. Sane in *homicidio* quidem contrariam sententiam defendunt *Christ. Thomasius in Diss. de jure aggratiandi Principis Evangelici in causis homicidii, Jo. Wilh. Engelbrecht in Diss. de jure pœnarum in homicidio doloso, Franc. Ern. Vogt in Comment. ad Leges Juticas de homicidio* & *Perez ad C. tit. de sentent. pass. & restit. n.* 19.

§. VIII.

Ceterum Doctores, in concedenda venia cautionis lo-

cum hunc commendant, ut fiat non nisi ex causis urgentissimis, neve detur sæpius, propterea quod spes impunitatis nutrire soleat pestilentiam in subditis per *Clem.* I. *de celebr. miss.* Sed hæc omnia hujus loci non sunt. Neque enim ista ad Jurisprudentiam judiciariam accommodata sunt, sed ad consultatoriam. Illud quoque arcte tenent Doctores, veniam concedendam non esse, neque aggratiationem faciendam, nisi ex causis legitimis. Nos quidem nihil attinere, putamus hoc dicere. Nam si causa adest legibus comprobata, ob quam pœna ordinaria vel mitiganda sit, vel plane locum non habeat, venia Principis & aggratiatione opus non est, sed Judex ipse ex arbitrio legibus ipsi tributo vel minuere pœnam, vel si reus plane innocens reperiatur, eundem a pœna absolvere potest. Quam rem amplissime persecuti sumus in Capite præcedenti XXV. universo. Et quamvis in jure civili variæ causæ percenseantur, ex quibus veniam Princeps delinquentibus concedere possit, veluti ob confessionem spontaneam, L. 5. §. 7. C. *ad L. Jul. Maj.* ob numerum liberorum, L. 7. §. 3. ff. *de bon. damn.* ob delinquentium multitudinem, *Nov.* 30. *c.* II. *Laut. Coll. Pand. de Pœnis* §. 16. *in f.* ob artificium insigne, L. 31. *pr.* ff. *de pœn.* ob diuturnitatem carceris, L. 23. C. *eod.* his tamen aliæ quoque causæ non excluduntur. Quid enim? an ob merita in remp. egregia, ob dignitatem, ob anteactæ vitæ integritatem, & quæ sunt generis ejusdem, veniam Princeps delinquenti concedere non potest? An ut correos delicti manifestet, impunitatem delinquenti minus recte tribuet? Sed nec ex istis causis, nisi cum impunitas promissa est, venia a Principe de jure flagitari potest. Nam dare ex iis causis veniam velit, nec ne, a sola ejus voluntate dependet. Svadent hæ causæ, non obligant. Illud hoc loco adjiciendum putamus,

putamus, *universitate*, vel *multitudine* quadam delinquente, non omnes pœna capitali affici, sed *sortem* adhiberi, vel *decimationem*, ut vocant, ita ut quidam ad supplicium sorte deligantur, uti hoc fieri solet in multitudine militum tumultuante vel ordines deserente, vel fugiente. Vid. *Ziegl. ad Grot. L. 2. c. 1. §. 15.* Addatur de pœnis universitatum *Pufendorf de J. N. & G. L. 8. c. 3. §. 29.*

§. IX.

Neque vero cum aggratiatione confundenda est *abolitio*, quæ fit, cum necessitas peragendi accusationem remittitur, de qua agitur *tit. C. de abolitionibus* & *tit. de generali abolitione.* Est hæc vel *privata*, quæ causa cognita non a Principe, sed a Magistratu & Judice competenti postulabatur, vel *publica*, quæ dabatur a Principe. Earum differentia hæc erat, quod privata quidem tribueretur accusatori, publica reo & consequenter demum accusatori, quam latius persequuntur *Brunnem.* & *Perez. ad tit. C. de Abol. aliique.* Sed privata illa abolitio, qua accusatori necessitas accusationem peragendi remittitur, hodie vix vel plane non obtinet, quod accusationes hodie apud nos non item, ut apud Romanos, usurpantur. Publica tamen abolitio usu adhuc obtinet, ita, ut eam non solum sponte Principes ob lætitiam publicam, sed etiam ad preces rei concedant, & tunc nihil aliud est, quam aggratiationis species, qua reo delicti venia a Principe conceditur, & Judici peragendæ inquisitionis necessitas, quæ in officio ejus erat, remittitur, vel inquisitio jam instituta tollitur. Sed ab aggratiatione quidem vera hoc differt, quod abolitio fiat, vel inquisitione adhuc imminente, vel senten-

tia criminali definitiva nondum lata, ſublato proceſſu inquiſitorio univerſo, aggratiatio autem fiat lata jam ſententia condemnatoria. Ceterum an qui abolitionem criminis impetravit, in collegium opificum rurſus recipiendus ſit, de hoc videatur *Coccejus in Jure controverſo tit. de ſent. paſſ. & reſtit. qu. un.*

§. X.

Apud Judæos quidem uſurpatum fuiſſe, ut ob feſtum Paſchæ delinquentium detentorum quidam veniam & indulgentiam conſequeretur, ex iis, quæ Pilatus ad populum Judæorum dixit *Matth.* XXVII, 15. intelligitur. Quem morem a Judæis ad Chriſtianos in honorem Chriſti a mortuis excitati tranſiiſſe, docet *L.* 3. *C. de epiſc. aud. L.* 3. *ſeq. Cod. Theod. de indulg. crim.* Et inde *indulgentiæ paſchalis* nomen venit. Sed hæc differentia fuit earum indulgentiarum apud Chriſtianos & apud Judæos, quod *Judæis* quidem pro facinoroſo, quemcunque vellent, veniam & indulgentiam requirere, liceret, *Matth. cit. v.* 15. ſed apud *Chriſtianos* iſtæ indulgentiæ non pleniſſimam delicti abolitionem, ſed relaxationem tantum a vinculis efficerent, cautione a reis præſtita, finitis feriis in carcerem ſe reverſuros, quanquam nec omnibus ſine ulla differentia concederentur. Quam rem ex inſtituto perſecutus eſt *Svendendörferus* in peculiari *diſſertatione de indulgentia paſchali*, add. *Godofr. ad Cod. Theod. cit. L.* 3. *Grotius ad dict. loc. Matth. Brunn. ad cit. L.* 3. *C. de Epiſc. aud.* Sed *hodie* indulgentiæ paſchales iſtæ uſu exoleverunt.

CAPVT

CAPUT XXVII.

DE EXECUTIONE POENÆ.

Poenæ executio in quos fiat & de autochirum pœna. §. *I.*

Per quos executio fiat & de jure constituendi carnifices. §. *II.*

Relegationem exequendi modus. §. *III.*

De reversis iis, qui relegati fuerint. §. *IV.*

De annuntiatione mortis. §. *V.*

De judicio criminali, Hals-Gericht. §. *VI.*

An & quando differri possit executio. §. *VII.*

De damnato ad judicium criminale ducendo. §. *VIII.*

De eodem confessionem vel revocante vel confirmante. §. *IX.*

Solennitates quædam judicii criminalis. §. *X.*

De damnato ad supplicium ducendo. §. *XI.*

Executio a quo incipiatur. §. *XII.*

De carnifice peccante. §. *XIII.*

De laqueo rupto. §. *XIV.*

De more Judæos suspendendi. §. *XV.*

De puella furem in matrimonium expetente. §. *XVI.*

De cadaveris inhumatione. §. *XVII.*

De mercede carnificis. §. *XVIII.*

Executio in effigie & quæ sunt hujus generis. §. *XIX.*

De executione mulctarum. §. *XX.*

§. I.

DEfensione frustra tentata, denegata quoque restitutione, aggratiatione aut abolitione, sequitur tandem *pœnæ*

 executio.

executio. Et pœna quidem ex regula in vivis, non in mortuis exequenda eſt, utpote quæ eſt malum paſſionis, quod infligi mortuo nequit. Sed incidit, ut in cadaver quoque defuncti animadvertatur. Quod fit in autochire, qui mortem ſibi ipſe conſcivit, ut cadaver ejus in ordinario ſupplicii loco a lictoribus carnificis miniſtris ſepeliatur, **ſie werden untern Galgen oder auf dem Rabenſtein von dem Schinder begraben.** *Carpz. J. Eccl. L.* 2. *Def.* 379. Quæ in extrahendo e domo autochiris vel dejiciendo cadavere ſolennitates adhibentur, variant. Nam quibusdam in locis ſubter limen extrahitur, alibi per feneſtram vel de tecto dejicitur. *Dn. Kreſſ. Comm. ad Ord. Crim. art.* 135. §. 2. *in not.* 2. Sed hæ dejiciendi vel extrahendi cadaveris ſolennitates aliter adhibendæ non ſunt, quam ſi metu pœnæ ob delictum promeritæ manus ſibi defunctus intulerit. Sepultura quidem iſta ex verbis *Jerem.* XXII, 18. 19. *aſinina* vulgo vocatur & eos quoque manet, qui vel confeſſi delictum graviſſimum, vel ejusdem convicti ante ſupplicium mortem obiere. *Carpz. cit. def.* 379. Sed & quibusdam in locis eodem modo ſepeliuntur, qui in certamine ſingulari perierunt. *Edict. Reg. Boruſſ. de Duellis art.* 7. Atque animadverſionis in cadaver factæ exemplum notatu dignum ſtatutum olim hic Cellis eſt in Judæo quodam, Jona Meyero, qui cum ad laqueum damnatus fuiſſet, ante ſupplicium execrandas in Chriſtum blaſphemias eructaverat. Res patet ex ſententia contra cadaver lata in hunc modum: **Demnach man vernehmen müſſen, auch bey eingezogener Erkundigung erfahren, welchergeſtalt der geſtern mit dem Strang zum Tod geſtrafte Jude Jonas Meyer ſo gottlos und verwegen geweſen, daß er auch vor ſeinem Ende zum gröſten Aergerniß der Umſtehenden und anderer Chriſten ganz ſchändliche und Gottes,**

Gotteslästerliche Reden gegen unsern Heyland und Seeligmacher Christum ausgelassen; Und dann von der hohen Obrigkeit *resolv*iret, deßfalls auch gegen dessen verfluchten Cörper ein Exempel zu *statu*iren; So wird durch Urtheiler und Beysitzere dieses Peinlichen Hals-Gerichts zu Recht erkannt, daß solchem auf gedachter Obrigkeit Befehl von der Gerichtsstatt abgenommenen und öffentlich vor dieses Gericht gebrachten Cörper die Zunge, mit welcher er die Gotteslästerliche Reden ausgesprochen, aus den Halse gerissen und öffentlich verbrannt, darauf derselbe wieder nach der Gerichts-Stette geschleppet und daran und zwar nebst einem Hunde bey den Füssen von neuen aufgehenket werden soll; immassen solches ungesäumt zu *exequ*iren, gegenwärtigem Scharff-Richter hiemit anbefohlen wird. V. R. W. vid. *Hosemanns* Denkmahl der Göttlichen Regierung bewiesen an denen Räubern der güldenen Tafel zu Lüneburg *P.* 2. *in fin. pag.* 272. Simile quoddam exemplum animadversionis in cadaver Marci Antonii de Dominis, Episcopi Spalatini hæreseos accusati exhibet *Struvius* in *Dissert. de Executione in effigie C.* 4. §. 5.

§. II.

Executio pœnæ fit per carnificem & lictores. Quæro, an qui Nobiles criminali Jurisdictione patrimoniali gaudent, *carnificem* quoque in tractu suo *constituere* possint, vel an ejusdem constitutio in juribus Principis regalibus sit. Et superius verum mihi visum est. Fortius enim dicetur, carnificem nihil esse aliud, quam ministrum justitiæ, qui pœnam sententia definitam jussu Judicis exequatur, & cum Judici

Judici concessa JCtione criminali ea quoque concessa omnia existimentur, sine quibus exerceri JCtio nequeat, *L. 2. ff. de Jurisd.* carnificis quoque constituendi facultatem ipsi sic tributam esse, quod sine hoc ad executionem perduci sententia criminalis non possit. Rectissime quoque dicetur, cum lictorum constituendorum jus nullibi denegetur Judici criminali, ob eandem rationem constitutionem quoque carnificis ipsi denegandam non esse. Accedit, ut Doctores hoc probent, in his *Zahnius* in *Ichnogr. munic. c.* 36. *n.* 26. *Adrianus Beyer* in *Tr. de Carnific. & Excor. c.* 2. §. 2. & 3. Neque etiam sane carnificis constituendi jus ullibi a legibus in regalibus relatum est. Facit quoque pro sententia nostra, quod civitatibus harum regionum, ut Luneburgensi, Ulzensi & Northeimensi, juris id esse, res sit notissima, neque cur idem juris Nobili in tractu Jurisdictionis suæ negandum sit, ratio afferri possit, præsertim cum hoc nihil quidquam sit insoliti, uti Adelipsiorum exempla probant.

§. III.

Relegationem quidem exequendi modus ex legibus nostris provincialibus relatus est supra *Cap.* XXIII. §. XII. XIII. Sed ante executionem ejus, urphedæ juramento obstringendus est relegandus, nolle se redire sine venia in has terras, a quibus relegatus est. Quibusdam in locis solet hoc urphedæ juramentum præstari digitis tribus superioribus gladio vagina vacuo carnificis præsentis impositis.

§. IV.

§. IV.

Redeuntes ſine venia digitorum quidem abſciſſione in terris noſtris non plectuntur, ſed ſi probabilem reverſionis ſuæ cauſam allegent, relegantur denuo; ſin autem cauſam reverſionis allegare poſſint nullam, vel iterum revertantur vel in opus publicum dantur, vel in ergaſtulum.

§. V.

Cum pœna capitalis infligenda eſt, aliquot ante executionem diebus mors Inquiſito annuntiari ſolet generatim, ut rei ſuæ proſpicere & ad mortem ſe accingere queat, ob quam cauſam Oratores ſacri ad ipſum mittuntur. *Ord. Crim. art.* 29. Sed ſpeciatim genus ſupplicii ipſi indicari non ſolet, ne crudelitate ejus in ſummam deſperationem conjiciatur. Aditus quoque ad ipſum patet uxori, liberis & aliis propinquis, ut ultimum iis vale dicere poſſit. Traditur quoque carceri tolerabiliori, & victum lautiorem accipit.

§. VI.

Dies executioni deſtinatus cum adeſt, conſtitui ſolet judicium quoddam criminale, **ein Hals-Gericht**, quod in quibusdam locis ſub dio celebratur, Judice & Scabinis ſeu Aſſeſſoribus ejus menſæ aſſidentibus. Ex *Conſtit. Crim art.* 12. ſignum quoque campana dandum eſt, ut imminens executio eo melius innoteſcat. Nam ob eam cauſam, ut alii hoc conſpiciant, & hoc exemplo a maleficiis abſterreantur, publice ſupplicium de facinoroſis ſumitur, niſi vel ſalus publica, vel metus turbæ executionem pœnæ privatim fieri, ſvadeant. Nonnunquam & ob generis ſplendorem privata executio cum publica commutatur, ut vel in carcere vel

in domo quadam ſine ullo ſtrepitu, **in der Stille**, ſupplicium luant. Sed hoc niſi Princeps probaverit, fieri non poteſt, propterea quod id continet remiſſionem quandam legis, utpote quæ in loco publico ad deterrendos alios, pœnas a facinoroſis repeti jubet.

§. VII.

Sane executio decretæ pœnæ differenda diu non eſt. Poteſt tamen *differri* ob alterius cujusdam gravioris delicti indicia, item ob teſtes falſi ſuſpectos, & ob rationes cuiquam reddendas, quo caſu differtur executio ſumtibus ejus, qui rationes exigit; item differri poteſt ob duriorem pœnam a Principe dictatam, *L.* 20. *C. de pœn.* & ad ſocios delicti inveſtigandos, fœmina quoque ſi gravida ſit, L. 3. *ff. de pœn.* & ſi ægrotanti imponenda eſt pœna corporis afflictiva.

§. VIII.

Judicio criminali conſtituto a lictoribus eo ducitur delinquens & ſuper potioribus delicti capitibus denuo interrogatur. Sed quæ *articulo* 84. *Conſtitutionis criminalis* præſcribuntur quæſtiones ſolennes de judicio rite conſtituto, non ubique ſervantur, & nec hic uſurpari Cellis ſolent.

§. IX.

Denuo delictum negans reus & confeſſionem factam revocans, in carcerem reducitur. Vide ſupra *Cap.* XX. §. XLIII. Confitenti vero ſententia damnatoria, Actuario judicii proclamatore, publicatur.

§. X.

Quod *Ordinationis criminalis articulis* 96. & 97. cavetur, ut baculus judicialis frangatur, & ne quis carnifici vim inferat, edicatur, id ubique locorum ſervari non ſolet. Sed & quorun-

quorundam locorum mos fert, ut publicata ſententia criminali fractoque baculo Judex ejusque Aſſeſſores ſellas, quibus inſederant, humi projiciant.

§. XI.

Publicata ſententia damnatus ad locum ſupplicii deducitur, cujus lateri comites ſacerdotes hærent. Quibusdam in locis præit cantor cum ſcholæ diſcipulis, qui hymnum quendam ſacrum canunt, ſed hic mos apud nos non obtinet.

§. XII.

Tandem ipſa pœnæ *executio* per carnificem fit, ſed ut, ſi patri cum filio ſimul moriendum ſit, a filio initium fiat.

§. XIII.

Peracta executione carnifex, an ipſe officio ſuo recte functus ſit, interrogat Judicem, cui is reſpondere ſolet, ſecundum *Ord. Crim art.* 98. Sed neque hoc quidem hic ſervatur Cellis. Peccans in executione carnifex obrui a populo lapidibus, vel alio modo infeſtari non debet. *Ord. Crim. art.* 97. Quod ſi vero ſingularem culpam admiſerit, a Magiſtratu vel carcere, vel mulcta, quin & ſi doloſe vel per ebrietatem fecerit, relegatione plecti poteſt. *Carpz. Qv.* 137. *n.* 67. *Dn. Kreſſius Comm. ad dict. art.*

§. XIV.

Fur rupto laqueo vivus de patibulo decidens, morte non liberatur, ſed denuo ſuſpendendus eſt. *Carpz. Qv.* 88. *n.* 38. Neque enim dum ſatisfactum eſt ſententiæ, qua laqueo occidendus fuit damnatus. Poteſt tamen Judex ad vincula reducere damnatum, & re omni explorata,

utrum carnificis ope, an casu restis lacerata fuerit, Principi causam hanc proponere. *Hahn. ad Wesenbec. tit. de pœnis n.* 9. Aliter sentit *Coccejus* in *Diss. de prop. furt. & susp. rupto laqueo*, qui hoc casu furem delapsum arbitrarie puniendum existimat.

§. XV.

Judæi quibusdam in locis extra patibulum suspendi solent, alibi quoque de pedibus suspenduntur, sed sine lege quidem & ratione. *Engelbrecht ad Dig. Disp.* 24. *th.* 31. *Carpz. Qv.* 88. *n.* 45.

§. XVI.

Illud quæsitum est, an quod a puella quadam vel meretrice in matrimonium expetatur, supplicio fur liberandus sit. Et hæc sententia merito rejicienda est. Vide *Carpz. Qv.* 88. *n.* 26. *Harprecht ad* §. 9. *J. de J. N. G. & Civ. n.* 21. *Theodor. in Judic. crim. pract. c.* 2. *aph.* 8. *n. ult.*

§. XVII.

Tandem sequitur *inhumatio* cadaveris, quæ sine cærimoniis fieri debet; & fit vel in loco supplicii, vel interdum in cœmeteriis, loco tamen remoto, **an einem Ab-Ort.** Plerisque tamen in locis certus quidam locus punitorum cadaveribus inhumandis destinatur. Sed qui extra urbem aut laqueo suspenduntur, aut rotæ imponuntur, iis quidem sepultura omnino denegatur. Aliquando etiam cadavera punitorum ad anatomiæ publicæ usum adhibenda permitti solent, *Kulpisius Diss. de jure in cadavera punitorum.* Quam Judici facultatem tribuit *Zœsius Comm. ad tit. ff. de Cadav. punit. n.* 2. Sed rectius omnino sentiunt, qui Judici hanc facultatem denegantes Principis auctoritatem in ea re desiderant.

Hahn.

Hahn. ad Wesenb. eod. tit. Bœhmer eod. tit. §. 3. *Carpz. qv.* 137. *n.* 74. *Schœpf. eod. tit. n.* 8.

§. XVIII.

Quæ sit carnificis pro actu executionis suscipiendo merces, ordinat *Edictum Electorale de* 16. *Januar.* 1712. in *Contin. Suppl.* der Landes-Ordn. *No. LIII. pag.* 224. & *D. Georgii Wilhelmi Rescriptum generale de* 12. *Novembr.* 1687. *Vol.* der Pol. Ordn. *c.* 33. *pag.* 983.

§. XIX.

Ceterum executio aliquando in effigie delinquentis fieri solet, cum reus vel absens est, vel mortuus; aliquando & in libris & scriptis, item in libellis famosis. Solent quoque nomina delinquentium patibulo affigi, qui quidem mos maxime contra milites ordines suos deserentes usurpatur. Quæ genera omnia persecutus est *Struvius* in citata Dissertatione *de Executione in effigie, per tot.*

§. XX.

Extremum hoc est, ut de *mulctis* pecuniariis earumque *executione* dicatur. Atque ad hunc locum I.) repetenda sunt, quæ dixi supra *Cap.* IV. §. XVIII. Tum II.) meminerimus, ex pluribus *correis delicti*, in unum, qui ditior forsitan sit, ut pro reliquis quoque pœnam pecuniariam persolvat, executionem fieri non posse. Licet enim plures correi delicti teneantur in solidum, adeo ut unus eorum de delicto conventus exceptionem divisionis opponere nequeat, L. 1. C. *de Cond. furt. ibique Brunn. n.* 2. & Doctores inde regulam efficiant, pluribus ex delicto in unam summam condemnatis, quod ab uno haberi nequeat, exigi posse ab altero, *Guid. Pap. L.* 7. *T.* 3. *art.* 2. 3. *Hofmann. de jure rer. indiv. C.* 5. *S.* 2. *aph.* 2. *n.* 17. *Carpz. Pr. Crim. Qv.* 38. *n.* 36. hoc tamen intelligendum est de eo, quod privatorum interest, & cum agi-

 tur

tur civiliter ad reſtitutionem rei & ſatisfactionem privatam, *Brunn. c. l. Carpz. c. l.* niſi conſvetudine loci aliud receptum ſit. Nam de Comitatu quidem Schaumburgico vicino memini, teneri ſtupratorem ad mulctam pro fœmina ſtuprata exſolvendam, ſi hæc inops, neque tantam pecuniæ ſummam in ære habeat. III.) Ad expenſarum reſtitutionem plures delinquentes & correos delicti in ſolidum teneri, hasque ab uno quoque eorum exigi poſſe, plane non dubitamus, quod expenſæ quidem pœnæ loco non habentur. *Carpz. c. l. n.* 34. IV.) In *concurſu creditorum* fiſcus ratione mulctæ pecuniariæ poſtponitur creditoribus omnibus, etiam chirographariis, L. 17. §. 37. *ff. de Jure Fiſci.* Sed ratione expenſarum criminalium fiſco a tempore litis conteſtationis jus tacitæ hypothecæ adeoque prælatio præ hypothecariis junioribus non eſt deneganda, quod per litis conteſtationem fiſcum inter & delinquentem quaſi contrahitur, & in debitis ex contractu quæſitis tacitum pignus fiſco tribuatur *L. 2. C. in quib. cauſ. pign. vel hypoth. tac. contr.*

S. D. G.

APPEN-

APPENDIX.

Cum Informatio Ducum HENRICI & WILHELMI jun. circa Processum Criminalem An. MDLXIIII. typis evulgata, in paucorum manibus reperiatur, quæ tamen non minimam Juris & Processus Criminalis partem hisce in terris facit, operæ pretium esse duximus, eam appendicis loco huic operi nostro adjungere.

* * *

Unterricht, wie in Peinlichen Sachen, die Leibsstraff uff sich tragen, oder die an Halß oder Hand gehen, von Unsern Haupt- und Amptleuten, auch den Rethen in Stedten, und Adel, die eigen Gericht haben, verfahren werden solle.

Erstlich,

ERstlich, wann die Gerichts-Befelchhaber, durch sich selbs, aus gemeinem geschrey, oder uff anklagen, erfaren, das ein mißhandlung an mord, raub, dieberey, zauberey, plackerey, oder andern dergleichen Unthaten, die an hals und hand, vermöge der Recht zu straffen sein, begangen, So sollen sie vor erst, fleißig kundschafft darauff legen, Ob auch die That, davon das gemein geschrey ergehet, und jnen angebracht, geschehen sey oder nicht, und so sie befinden, das die that geschehen, und ein ankleger vorhanden ist, so sollen sie vernemen, was der Kleger vor anzeig oder Indicia seiner anklage und bezichtigung hat, und womit er solche anzeige beweisen kan, so dann dieselbige gnugsam befunden werden, So sollen die Gerichts-Befelchhaber, nach dem Theter mit allem fleiß trachten, das sie jn zu hafften bringen, und von dem Ankleger, vermög des zwölfften Articuls, der Kays. und des Reichs peinlichen Halsgerichts-Ordnung, Bürgschafft und Caution nemen.

Zum

Zum andern, do ein missethat geschehen, und offenbar ist, und kein Ankleger vorhanden, aber gewiß ist, wer die that gethan hat, So solle demselbigen uff frischem fusse nachgetrachtet, und so er entwichen were, nachgeeilet, und nicht allein von einem Amte in das ander, sondern auch aus unserm Fürstenthumb, in andere Lande, und Gebiete, vermöge des heiligen Reichs und Kreißordnung, gefolget, und fleiß gethan werden das er zu hafften gebracht werden möge.

Do er aber in der nachjagt nicht ergriffen, sondern hernachmals erfaren würde, das er sich in andern Gerichten und gebieten enthielte, So sollen unsere Ampte und Gerichts-Befelchhaber, in unserm Fürstenthumb, an die Oberkeit des orts, do sich der Theter enthaltet, schreiben, und neben vermeldung seiner mißhandelung dieselbige Oberkeit ersuchen, den Theter gefencklich einzuziehen und Rechts wider jn zugestatten, Und sollen die Ampten und Gerichtsuerwalter, uff den Fall so kein Ankleger do ist, ex officio jnen mit Rechte zu verfolgen, schuldig sein,

Und do jnen Rechts geweigert, oder dasselbig verzogen würde, uns jederzeit die felle, und was sie darin gethan, berichten, domit wir die Sachen weiter zu befürdern haben.

Zum dritten, do eine missethat geschehen, und solches offenbar, aber nicht wißlich, wer die that begangen, Alsdann, und in solchem Fall, sollen die Ampten und Gerichts-Befelchhaber, sich hin und wieder aller umbstände, wie die Sachen sich zugetragen, erkunden, Und so sie wider einen oder mehr, der begangenen übelthaten halben vermutungen hetten, die zur angreiffung gnugsam, So sollen sie Ampts halben, nach den beargwoneten auch trachten, und sie einziehen.

Und wann sie also einen oder mehr Personen mißhandlung halben, die an hals und hand gehen, entweder uff anklagen, oder ampts halben, oder durch den weg der inquisition, oder erforschung, in jre hafften bekomen, So sollen sie dem gefangen, so er auff anklagen oder Ampts halben eingezogen ist, als-

bald,

bald, und uff frischem fusse, so viel möglich, domit sich der gefangen lang zu bedencken nicht ursach habe, die Articul und ursach, oder so er uff vermutung, durch den weg der Inquisition, eingezogen, die ursachen des verdachts, warumb er eingezogen, fürhalten, und jn in güte, oder so daß nicht helfen wil, mit bedrawung der peinligkeit, vermögen, die Warheit zu bekennen, do er dann die that bekennet, so soll er mit fleiß ümb alle umbstendigkeit der handlung, auch umb seine Gesellen in gemein, die jme darzu mögen geholfen haben, befragt werden, Und solle solches alles fleißig durch den Gerichtschreiber aufgeschrieben werden, aber bey der verhör, die Haupt- und Amtleute selbs mit sein.

Do er aber in der güte nichts bekennen wolte, So sollen die Gerichtsverwalter, die ursachen der anklage oder der gefencklichen annemungen, so die Ampts halben geschehen, oder die vermutung oder indicia, darauf ad inquisitionem procediret worden, fleißig uffschreiben, und die Articull des verdachts dem gefangen zustellen, ob er Fragstück darauf machen wolle,

le, und sollen dann zu fürderlicher gelegenheit, zeugen und Kundschafft der Indicien, oder vermutung halben, so wider den gefangen sein, und uff des gefangen Fragstück, ob er die übergeben, verhören, die aussage fleißig auffschreiben, und dann was bis dahin in der Sachen gehandelt, an uns gelangen lassen, und unterschiedlich berichten, was der Gefangen gethan, und ob er sich zur that bekennet, oder so er das nicht thut, womit er kan überwiesen werden, Oder so man nicht gewiß ist, das der eingezogen die übelthat begangen, was vor vermutung wider jn sein, darauff er eingezogen, und ob er die bekennet hat, oder so er die geleugnet, womit sie bewiesen sein, und bescheides darauff gewarten.

Die aber Häuser uff Pfandschafft, von uns, oder eigen Gericht haben, die sollen solche Sachen, domit sie den Sachen nicht zu viel oder wenig thun, an einen Schöppenstuhl gelangen und sich des Rechtens darüber belernen lassen.

Aber in alle wege, so wir nach befindung die peinliche

liche Sach, wann sie an uns gelangt, wider vor das untergericht remittiren würden, und dann die that durch den gefangen, bekandt ist, So sollen unsere Haupt- und Amptleute, und andere Gerichtsverwalter, unsers fürstenthumbs, fürderlich ein peinlig Gericht, wie das an jedem Ort hergebracht, bestellen, und dasselbig, wie gewohnlich, hegen und halten, und dem gefangen solchen Gerichtstag etliche Tag zuuor, vermelden, damit er sich darzu geschickt machen, Und ob vermuthlich oder gewiß ist, das jme leibs-strafe wolte ufferlegt werden, sich mit GOtt vereinigen, seine Sünde bekennen und das heilige Sacrament des Altars empfangen möge, zu der notturfft sollen jme auch ein oder mehr Predicanten, die jn unterrichten, trösten und das heilig Sacrament reichen mögen, zugeordnet werden.

Uff solchem Gerichtstag sol dem Gefangen ein Redner, der seine Schutzwehre oder entschuldigung, so er die hette, fürtragen möge, gegönnet werden, Und wenn das Gericht gewöhnlicher weise geheget, soll der Ankleger durch sich oder seinen gnugsamen Volmech-

tigen, so der Gefangen, uff eins anklagen eingezogen ist, Oder aber durch einen Vorsprachen, Ampts halben, so kein Ankleger vorhanden ist, der übelthat halben beklagt, und des Gefangen Schutzwehre und entschuldigung, so er die fürzuwenden hette, angehöret auch gegen- und Wiederrede mit fleiß angemercket werden.

Als wann ein Todtschleger die Notwehr fürwenden würde, So solle jme Beweisung zugelassen werden, und die zeugen so er derhalben fürzustellen vor dem Gericht beeidigt, und umb die Nothwehr, und wie sich die Sach eigentlich zugetragen, und alle Umbstende, eigentlich, ein jeder Zeuge insonderheit, befragt, und jre aussage fleißig aufgeschrieben werden. Darnach solle die Kundschafft vor Gericht, uff demselbigen Termin oder so die zeugen nicht vorhanden, uff einem andern Termin, eröffnet und so die Kundschafft richtig, also, das die Notwehr bewiesen, oder nicht bewiesen ist, So solle darauff weiter erkant werden was recht ist.

Do aber in zweifel gezogen würde, ob die Notwehr,

wehr, oder andere Schutzwere gnugsam bewiesen, oder den Theter entschuldigen mochte, oder nicht, So sollen die Acta entweder an uns, oder einen Schöppenstuhl geschickt, und sich des Rechtens darüber belernet werden.

Do aber der gefangen der that gestendig were, und keine erhebliche ursach, oder entschuldigung fürzuwenden hette, die jn derhalben im Rechten entheben mochten, Oder so er der that nicht gestendig, und mit zeugen vor Gericht überwunden würde, So solle durch die Gerichtsleute, wie am jeden Orten herkomen, uff Klag und antwort, erkant werden, was sich zu recht, und vermöge der peinlichen Halsgerichts-Ordnung, gebüret und was also erkant wird, von stund an, nach gesprochener Urteil exequirt und volnstrecket werden.

Weil aber bisher an etlichen Orten der gebrauch gewesen, das der Scharffrichter, die Urteil ausgesprochen, und darnach exequirt hat, So soll solches hinfürder nicht mehr gestattet werden, Sondern die Urteil im namen der Gerichtsleute, wie an jeden Ort herkomen,

herkomen, gesellet, und nach inhalt der peinlichen Halsgerichts-Ordnung, begriffen und abgelesen werden.

Und domit die Gerichtsuerwalter desto fürsichtiger, in peinlichen sachen handeln, sollen sie sich in der angereigten der Keyserlichen und des heiligen Reichs peinlichen Halsgerichts-Ordnung weiter erkunden, und sich derselbigen gemes, auch dieses unsers Unterrichts, mit fleiß gehalten.

INDEX RERUM
ET VERBORUM.

Numerus major Capud denotat, paragraphum minor.

A.

ABACTIO.

Abactionis crimen minuitur ætate partus, si is nondum animatus XXV. 39.

ABIGEATUS.

Abigeatus quid sit XXIV. 46. ad equos tantum, non ad alia pecora pertinet XXV. 43. in abigeatu excubias agentium pœna XXIV. 46.

ABIGEI.

Abigeorum pœna XXIV. 46. Cur tam severe in eos animadvertatur 47. in quibus hæc pœna mitigetur 48.

ABOLITIO.

Abolitio quid sit XXVI. 9. eam consecuti an in collegia opificum admittendi ib.

Abolitio privata quæ XXVI. 9. an hodie obtieat. ib.

Abolitio publica quæ XXVI. 9. quomodo differat ab aggratiatione ib.

ABORTUS PROCURATIO.

Ejus pœna minuitur, si partus nondum animatus fuit XXV. 39. pœna ex Statuto Luneburgico XXIV. 98.

ABSENTES.

Contra absentes contumaces quomodo poterat jure Romano procedi XII. 1. in eos alicubi ad bannum proceditur. 2. contra illos an apud nos in contumaciam procedatur 16. inDucatu Guelpherbytano quomodo contra eos procedatur. 17.

ABSOLUTIO.

Absolutio duplex XXI. 8.

Abſolutio ab inſtantia quando fiat XXI. 8. novis indiciis exiſtentibus inquiſitionem novam non impedit. 9.

Abſolutio a tota cauſa quando fiat XXI. 10. quid hic obſervet ſtilus Curiæ. 11.

ABSOLVTVS.

Abſolutus ad expenſas reſtituendas quando condemnetur. XXI. 16.

ACCVSATIONES.

Accuſationes adhibitæ in delictis publicis I. 10. earum licentia utilis & pernicioſa ib. ab iis quinam olim repulſi ſint ib. hodie minime ſunt abolitæ II. 1. cur privati hodie illis abſtineant. 2. earum in terris Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus uſus 7.

ACCVSATORIVS LIBELLVS,

Ejus forma II. 5. ſq.

ACCVSATORIVS PROCESSVS,

Ejus forma II. 5. a civili ordinario differentia. 6. nævi III. 7. ejus quædam ſpecies in terris Bremenſibus & Weſtphalicis II. 8

Acht.

Acht quid ſit XII. 5.

ACTA.

Acta inquiſitionis generalis an ad defenſionem pro avertenda inquiſitione communicanda. XIII. 11.

Acta inquiſitionis ſpecialis defenſori communicanda XVII. 12.

ACTIONES.

Actiones ex delicto privato duplices I. 8. earum uſus hodiernus ib.

Actiones ex delictis extraordinariis privatæ vel populares pœnales I. 9.

Actiones pœnales juris Romani I. 2 earum uſus hodiernus ib.

Actionum pœnalium mixtarum uſus I. 3.

Actorum transmisſio v. Transmiſſio actorum.

ACTVARIVS.

Actuarii jurati in judicio criminali neceſſitas V. 25. is conſcribere rei reſponſionem fideliter debet XIV. 13. ejus in examine inquiſiti officium 23. ejus in actu torturæ officium XX. 33. ejus vicem quomodo Notarius fungi poſſit V. 25. an judex ib.

Adjutorium v. Auxilium.

ADMINISTRATORES.

Adminiſtratores pecuniarum civitatis vel alius univerſitatis edicto de reſiduis tenentur XXIV. 52.

ADVLTERIVM.

Adulterii ad ſpecialiter inquirendum indicia IX. 25. ejus pœna non tenetur, qui uxorem eſſe

esse ignoravit XXV. 24. puberi, qvi commisit, ejus pœna non remittitur. 29. de adulterio semel, vel iterum, vel tertium suspecti pœna mariti ex Statuto Luneburgico XXIV. 96.

Adulterium consummatum quod XXV. 48.

Adulterii duplicati pœna XXIV. 17. quid in eo conjugis intercessio innocentis efficiat ib.

Adulterii simplicis pœna XXIV. 18. ex Statuto Luneburgico 96. illud iterantium pœna ex Constitutione D. Henrici Julii 18. conjugis intercessio innocentis quid in eo valeat ib. & 96. oportet fieri eam non interveniente pecunia XXV. 54.

AEDES SACRÆ.

In æde sacra injuria illata gravius vindicatur XXV. 40. in ædibus sacris quod levius commissum est, a judice inferiori coërcetur IV. 11.

AETAS.

Aetatis ratio habenda in eo qui deliquit XXV. 28. in persona offensa 38.

Affigendi edicta Principis jus v. Edicta.

Aggeres v. Albis.

AGGRATIATIO.

Aggratiatio quid sit XXVI. 5. fit a solo Principe ib. in Germania qui aggratiare possint ib. an fieri possit in delictis jure naturali & divino prohibitis 7 an in homicidio. ib. an facienda tantum ex causis legitimis ib.
